



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XL. De verborum significatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

Covar. in cap. alma. 1. part. 5. 8. num. 8. dicendum est cum Gibalino, & Balboa ubi supra, Fermosino in cap. cum non ab homine, quest. 3. de iudiciis, in eo textu non affirmari, necessario exprimentam esse speciem excommunicationis à reo excipiente, siquidem id superfluum esset, tum ex presenti textu, tum ex eo, quia tantum excommunicatio major repellit a iudicio, ut probavi in cap. intelleximus, de iudiciis, cap. 2. de except. sed tan-

tum decerni, allegandam esse causam specialem excommunicationis, quia cum in §. si vero, ipsius textus dicatur, probandam esse exceptionem intra octiduum apertis documentis, id nulla ratione fieri poterat, allegatà tantum excommunicatione in genere, nisi illius causa specialis, quæ intra illum terminum probari possit, exprimeretur. Latrius prosequuntur Balboa, & Primarij nostri in dicto cap. 2. de except.

CAPUT LX.

a Idem.

PUERIS, qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri: cum propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

NOTÆ.

a [Idem.] Gregorius videlicet IX. Textum hunc exposui supra in cap. 1.

TITULUS XL.

De verborum significatione.

CAPUT PRIMVM.

a Hieronymus super Osee.

INNOVATE novale. Novale est ager nunc primùm præcisus.

NOTÆ.

I. a Hieronymus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. final. sed non reperiuntur hæc verba in commentariis ipsius S. Do-

ctoris super Prophetam Oseam: extant tamen in Glossa, quæ vulgò interlinearis dicitur, ubi ad ea verba Prophetæ Osee cap. 10. *Seminate vobis injustitiam, & metite in ore misericordie: innovate vobis novale, legitur: Novale est ager nunc primùm præcisus.*

CAPUT II.

Idem super a Danielelem.

NAM & Rex Nabuchodonosor pater tuus, idest proavus, more b Scripturæ, quæ avos, & deinceps patres appellat.

NOTÆ.

I. a Danielelem.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & priora illa verba reperiuntur in cap. 1. Danielis, videlicet: *Nam Rex Nabuchodonosor pater tuus; ubi ea D. Hieronymus ita exponit. Quod autem Balthazaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus sacra Scriptura consuetudinem, quæ patres omnes proavi, & majores vocantur.* Et ad illa verba: *In diebus patris tui, ait: Et in diebus patris tui. Patrem vocat Nabuchodonosor, ut supra*

diximus, proavum ejus, secundum consuetudinem Scripturarum.

b Scripturæ.] Et etiam jure civili attento, juxta communem interpretationem, patris nomine avus quoque continetur, l. iusta 201. ff. de V. S. ubi Gentilis, & Fornerius. Nec tantum avus paternus, verum & maternus, l. ut. in fine, Cod. communia utriusque judic. immò & omnes ascendentes, ut docent Chasseneus in consuet. Burgundia, rubrica 751. Acacius Ripol de privil. parent. in prolog. num. 36. qui inde explicat textus in lege Julia, ff. de ritu nupt. l. filium habeo, ff. ad Maced.

CAPVT III.

Idem ^a in Parabolis.

NAm & ego unigenitus fui coram matre mea. Quare unigenitum se nominat, quem fratrem uterinum præcessisse Scriptura testatur? nisi quia ille mox natus sine nomine, quasi, nunquam esset, de via deceffit.

NOTÆ.

- I. ^a **I**n parabolis.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* & priora illa verba. *Nam & ego unigenitus fui coram matre mea.* Reperiuntur in *cap. 4. Proverbiorum*; sequentia verò sunt D. Hieronymi. Hanc eandem difficultatem, quare videlicet Salomon dicatur unigenitus filius, cum *ex lib. 1. Paralip. cap. 3. vers. 5.* appareat Davidem tres alios filios suscepisse ex Bethsabee, videlicet Simmaa, Sobab, & Nathan; agnoverunt PP. & Theologi Expositivi, Salius *tom. 3. anno mundi 2989. num. 3.* Abulensis, Lira, & Vatablus *in dict. cap. 3. Paralip.* Hugo Cardin. *in lib. 2. Regum, Salmeron tom. 3. tract. 28.* existimant, tres illos filios à Bethsabee ex Uria, non verò Davide conceptos fuisse, sed postea à Davide adoptatos. Verùm eos fuisse Davidis filios naturales expressè constat *ex dict. cap. 3. Paralip.* & probarunt Theodoretus, & Procopius *ibi*, Pineda *lib. 1. de rebus Salomonis, cap. 8. num. 3. & lib. 7. cap. 26.* Barradius *tom. 1. lib. 5. cap. 9.* Quare eà interpretatione omisâ, verius dicendum est, Salomonem appellari

filium unigentium, quia unice dilectus erat à matre sua; quare non dicitur *in dict. cap. 4.* unigenitus matris suæ, vel patris sui; sed unigenitus coram matre sua, id est ut Septuaginta vertunt, *dilectus in facie matris suæ*, id est unicus per singularem amorem, curam, & sollicitudinem, perinde ac si esset solus, & unigenitus: quare ad eum mater ait *cap. 31. vers. 2. Quid dilectus mihi? Quid dilectus uteri mei? Quid dilectus votorum meorum.* Probant, & Illustrant expositionem hanc Pineda *dict. lib. 1. cap. 8.* Cornel. à Lapide *in dict. cap. 4. Proverb.*

^b *Nunquam esset.*] Hinc aliquando filij, qui iam decefferunt, tanquam si non fuissent, habentur; quare nec patri profunt ad excusationem munerum publicorum, nisi in bello amissi sint, *l. 2. §. oportet. ff. de excusat. ut. l. 2. §. qui ad muner. l. communi. ff. de vacat. muner.* Quoad alia verò, veluti ad liberationem præstationis operarum, amissi filij etiam profunt, *l. libertinus 37. §. amissis. de oper. libert. l. nec patronus. Cod. ed. tit.* Prosequitur Bertranus Maurus *de iure liberorum cap. 44.*

CAPUT IV.

Idem ^a super Mattheum.

Quod dicitur: antequam convenirent; non sequitur ut postea convenirent: sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.

NOTÆ.

- I. ^a **S**uper Mattheum.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & verba hæc reperiuntur apud D. Hieronymum in expositione illorum verborum Matthæi *cap. 1. Cum esset desponsata mater ejus Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ubi propositio illa ante, eam continet difficultatem: Ergo postea convenerunt; ut quidam Hæretici Antidicomarianistæ apud Epiphanium *heresi 78.* deducebant, afferentes Beatam Mariam post Christi partum à B. Ioseph cognitam fuisse. Sed rectè ea verba Divi Matthæi exponit S. Hieronymus *ibi*: dum ait, quod non quoties dicitur aliquid non antefactum esse, significatur postea factum esse; cum enim dicimus hæreticos non acturos penitentiam prius quàm moriantur, non significamus eos post mortem penitentiam acturos, sed tacemus quod est certum, dicimus quod est dubium. Certum est, post mortem neminem agere penitentiam, quia in inferno quis confitebitur tibi? Sed dubium est, an ante mortem acturus sit. Certum quoque erat post Christi partum Ioseph

Mariam non cognovisse, cum non aliam filium, quàm Christum habuisset: an autem Christus ex Ioseph, an verò ex Spiritu sancto conceptus esset, dubitari poterat, & necessariò erat explicandum. Hoc ergo explicavit Evangelista, quod dubium, quodque necessarium erat; illud prætermisit, quod nec quærebatur, nec dictu erat necessarium. Alij docent hæc verba antequam convenirent, idem importare atque, in eadem domo habitarent. Ita Simon Cassianus *in comm. lib. 2. c. 16.* Abulensis *in cap. 1. Matthæi, Baronius tom. 1. annual. in Apparatu, Cajecanus in 3. part. D. Thomæ quest. 29. art. 2.* quos refert, sed non sequitur Baradas *tom. 1. lib. 8. cap. 5. ibi: Non de cohabitatione, sed de conjugali congressu hæc verba cum plerisque Interpretibus sunt intelligenda.* Quibus sic intellectis Heluidius Deiparæ perpetuam virginitatem labefactare conatur: sed stупeus est aries, nec enim vim ullam habet hæc consequitio: Antequam convenirent, concepit virgo ex Spiritu sancto; ergo postea convenerunt. Quemadmodum nec illa: Antequam morbum agnosceret medicus, animam efflavit ægrotus; ergo postea morbum medicus agnovit.

CAPUT

CAPUT V.

^a Hieronymo *super Mattheum.*

Ioseph non cognovit Mariam, donec peperit filium suum primogenitum. Ex hoc quidam loco perversissime suscipiantur & alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum: cum primogenitus non debeat dici, nisi qui habeat fratres; cum hic mos divinarum sit Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequantur; sed eum, qui primo natus sit.

NOTÆ.

^a *In eodem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* idest D. Hieronymus

id eodem cap. 1. Matthæi. Priora illa verba, *Ioseph non cognovit, peperit filium suum primogenitum,* sunt D. Matthæi; cætera verò D. Hieronymi exponentis verbum illud *Primogenitum.*

CAPUT VI.

^a Hilarius.

Intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.

NOTÆ.

^a **H**ilarius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* Sanctus Hilarius Pictaviensis Episcopus floruit per annos 355. & quamvis jam provectæ ætatis baptizatus fuisset, tamen brevi in ecclesiastica doctrina ita profecit, ut Doctor Maximus, & ecclesiæ Catholicæ columna merito habitus sit. Scripsit varia opera quæ refert Bellarminus *de Scriptor. Ecclesiast. d. anno 355.* & scripsit de Trinitate, ubi *lib. 4.* reperiuntur verba in præsentî à Raymundo transcripta, quæ ut facilius intelligantur, altius reperenda sunt. Ait Hilarius: *Sequamur ergo adversus irreligiosas, & impias adeo institutiones, ipsas illas divinorum dictorum auctoritates. & unumquemque eo ipso, de quo queritur, auctor in tractabimus, non ad fallendam audientium imperitiam, & malè imbuendam, quasdam verborum enunciationes, sub-*

tractis eorum causis, coaptantes. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Quæ ultima verba compilavit Raymundus in præsentî, quia canones propriam habent verborum significationem, quam ex causis ipsis, & rebus depromo; ideo non tam proprietas, quàm sensus plerumque attenditur. Exempla extant in cap. secundo 41. de appellat. cap. ex literis, de sponsal. cap. ad audientiam, de decimis. Quod de jure civili plerumque admittitur, siquidem tuendæ voluntatis gratiâ, ut captio omnis viteretur, verba ipsa contra propriam significationem accipiuntur, ut in l. ex conducto 15. §. Papi- nianus, ff. locati. l. 13. ff. de excusat. tutor. Plura & ambiguo sermone congesserunt Petrus Faber, & Iacobus Gothofredus in l. in ambiguis, ff. de R. l. Doctor Leon. in l. Paulus, ff. de rebus dubiis, D. Josephus de Retes lib. 7. opuscul. cap. 3. numer. 21.

CAPUT VII.

Augustinus *super* ^a *Mattheum.*

Nihil obstat narrandi diversitas, ubi eadem dicuntur, maximè cum quisque Evangelistarum eo ordine credat se dicere, quo Deus voluit.

NOTÆ.

^a *In Mattheum.*] Ita etiam legitur in prima

collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* ubi notat Ant. Aug. verba hæc forsan transcripta fuisse ex D. Augustino *de consensu Evangelist. lib. 2. cap. 12. 21. & 28.*

CAPUT VIII.

^a Gregorius.

Ad explendum affectum meum, fateor, lingua non sufficit: sed quidquid de vobis sentio, vester vobis melius affectus dicit. Quibusdam verò vos adversitatibus laborare audiivi. Sed non hac de re valde contristor, quia plerumque navis, quæ pervenire ad altas pelagi tempestates per prosperitatem poterat, in ipso navigationis initio vento adversante repellitur, sed ad portum repulsa revocatur. Propterea si proli-

Fff 4

xam

xam epistolam ad interpretandum accipere fortasse contigerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferre: quia plerumque dum proprietates verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.

NOTÆ.

^a **G**regorius.] Ita etiam legitur in prima collectione,

Etione, sub hoc tit. cap. 7. & reperitur textus hic in registro epistolarum D. Gregorii, lib. 1. epist. 28. ex quo illum transcribo.

CAPVT IX.

^a Isidorus.

Quamvis omnes, qui præfunt, præpositi ritè vocentur; usus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam super alios gerunt.

NOTÆ.

^a **I**sidorus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 8. & reperitur textus

hic lib. 10. etymolog. D. Isidori, & hanc etymologiam Præpositi, atque ejus officium, & dignitatem illustravi in cap. 1. de arate, & qualis.

CAPVT X.

^a Isidorus.

Forus exercendarum litium locus, à ^b fando dictus. Qui locus & Proroftra vocatur fideo, quod ex bello Punico captis navibus Carthaginensium rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, ut esset hujus inigne victoria. Constat autem forus causâ, lege, & judice. Causa vocatur à casu, quo evenit. Est enim materia, & origo negotii, necdum discussionis examine patefacta, quæ dum proponitur, causa est; dum discutitur, judicium: dum finitur, justitia. Vocatur autem judicium, quasi jurisdictio; & justitia, quasi juris status. ^c Judicium autem prius inquisitio vocabatur. Unde & actores judiciorum, præpositos, quæstores, vel quæstiores vocamus. Negotium multa significat, modò actum rei alicujus, cui contrarium est otium; modò actionem causæ, quod est ^d iurgium litis, & dictum est negotium, quasi nec otium, id est sine otio. Negotium autem in causis, negotiatio in commerciis dicitur, ubi aliquid datur, ut majora lucrentur. Iurgium dictum, quasi juris garrum, eo quod ii, qui causam dicunt, jure disceptent. ^e Lis à contentione limitis prius nomen sumpsit. De quo Virgilius: Limes erat positus, litem ut discerneret agri. Causa aut argumento, aut probatione constat. Argumentum nunquam testibus, nunquam tabulis dat probationem, sed solâ investigatione invenit veritatem: unde & dictum argumentum, id est argutum inventum. Probatio autem testibus, & fide tabularum constat. In ^f omni autem judicio sex personæ quaruntur. Iudex, accusator, reus, & tres testes. Iudex dictus, quasi jus dicens populo, sive quòd jure disceptet. Iure autem disceptare est justè judicare. Non est autem iudex si non est in eo justitia. Accusator vocatur, quasi ad causator, quia ad causam vocat eum, quem appellat. Reus à re, quæ petitur, nuncupatur; quia quamvis sceleris conscius non sit, reus tamen dicitur quamdiu in judicio pro re aliqua petitur. Testes antiquitus superstites dicebantur, eo quod super statum causæ proferebantur. Nunc parte ablata nominis, testes vocantur. Testis ^g autem consideratur conditione, naturâ, & vitâ. Conditione si liber, non servus: nam sæpe servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Naturâ, si vir, non femina. Nam varium & mutabile semper femina. Vitâ, si innocens, & integer actu. Nam si vita bona defuerit, fide carebit; non enim potest justitia cum scelerato habere societatem. Duo sunt autem genera testium; aut dicendo id, quod viderunt; aut proferendo id, quod audierunt. Duobus autem modis testes delinquunt, cum aut falsa promunt: aut vera silentio obtegunt.

NOTÆ.

^a **I**sidorus.] Ita legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 10. & extat textus hic lib. 8. etymolog. D. Isidori, cap. 15. ex quo Codice correcto à Garcia à Loayla transcribo textum hunc.

^b *Afando.*] Hæc etymologia displicuit Polleto lib. 1. hist. fori. cap. 1. & Alciato lib. 2. disp. cap. 24. qui sequuntur etymologiam, quam tradit Marcus Varro lib. 4. de lingua Latina, his verbis: *Quo conferrent suas controverfias, & qua vendere vellent, & quò quæq; ferrent, for um appellaverunt, unde à ferendo veteres*

veteres forum dixere Lucilius lib. 3. Romanis ludis forum olim ornatus lucernis. Probat Philip. Brodeus ad Poler. dict. cap. 1. Gibalinus de negot. tom. 1. lib. 2. cap. 3. art. 1. Inde forentes dicuntur, qui in foro verfantur. Vitruvius lib. 6. cap. 8. ibi: Forentibus autem, & disertis elegantiora & spatiosiora ad conventus excipiendos. Et controversia ipsæ, quæ ibi disceptantur, forentes appellantur. Vipertus lib. 1. vita Leonis IX. cap. 4. Nempe ut primum competis rudibus, decurso artium trivio, non solum claruerunt prosa & metro, verum & forentes controversias acuto, & vivaci oculo mentis deprehensas expediebant, seu removebant sedulo. Notavit Bosquetus ad Innoc. III. lib. 2. epist. 105.

3. *c. Iudicium.] Varias acceptiones iudicij adduxerunt Abbas, Ripa, & alij repetentes ad rubricam supra de iudic. Marant. de ordine iudic. 1. part. dist. 14. D. Perez in rubric. tit. 1. lib. 3. ordin. Scaccia de iudic. lib. 1. cap. 1. num. 3. Brisson. Calvinus, & alij Lexicographi verbo Iudicium. Communiter accipitur pro litigantium conflictu & forentium disceptantium certamine, ut probat Cujac. ad tit. supra de iudic. Explicat Abbas in presenti, n. 1. Decius lecturæ, num. 5. Ripa num. 50. Sotus de iustitia lib. 3. q. 4. num. 11. Scaccia d. lib. 1. cap. 2. à num. 2. à qua*

etymologia non multum discrepat alia Cuiacij *ubi supra. ut iudicium dicatur quasi iurisdictionis; cui favore videtur Marcus Varro lib. 5. de lingua Latin. dum iudicium à jure & dicendo derivat, prosequuntur Osvaldus in not. ad Donel. lib. 17. comment. cap. 3. litt. A.*

d. Iurgium.] Festus ait. Iurgium juris actio est, & agere iurgare est. Ammianus Marcel. lib. 18. Cum iurgando contra potentes se magis magisque iniustitiâ frangi, contemplaretur. Verbum uliratum in jure, l. unie. Cod. de dilat. Hinc iurgare pro litigare, l. 6. Cod. Theodos. de iurisd. l. 4. eod. C. de accusat. l. 2. eod. C. de offic. iudic. mil. notavit Savarus ad Sidonium lib. 2. epist. 7.

e. Lis.] Ut probavi in cap. 1. de lit. contest. f. In omni.] Consonat Fabianus in cap. in omni 1. 4. quest. 4.

g. Testis autem.] Rectius D. Isidorus quam Servius ad illud Virgilij 3. Aeneid. Superestne, & vestitur aurâ, inquit. Superstes presentem significat. Et Festus Pompeius ait: Superstes testes presentes significat, cuius rei testimonium est quod superstibus presentibus ij, inter quos controversia est, vindictias sumere jubentur. Notavit D. Garcias à Loayla innotis ad D. Isidorum, in presenti.

4.

5.

CAPVT XI.

Idem.

Pactum dicitur inter partes ex pace conveniens scriptura legibus aut moribus probata. Dicitur pactum quasi ex pace factum.

NOTÆ.

I.

a. Idem.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 12. & reperitur textus hic d. lib. 5. etymol. c. 24. & presentem etymologiam exposui in

cap. 1. de pactis; presentemque diffinitionem congruam esse probat Fornerius lib. 5. rer. quotid. c. 14. si ab ea expungatur mentio scripturæ, quæ non tam ad substantiam pacti, quam ad probationem pertinet, l. pactum 17. l. cum proponas 21. C. de pactis.

CAPVT XII.

Idem in eodem.

Jus dictum est à justè possidendo; hoc enim jure possidetur, quod justè: hoc justè, quod benè, quod autem malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui vel suis malè utitur, vel aliena præsumit.

I.

NOTÆ.

a. Idem.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 12. & reperitur textus hic d. lib. 5. etymolog. cap. 25. videturque sanctum Docto-

rum etymologiam hanc desumpsisse ex D. Augustino relato à Gratiano in cap. 11. 4. quest. 4. Latè juris etymologiam illustravi in principio Apparatus ad hæc commentaria.

CAPVT XIII.

Paschalis Papa II. *Canonicis S. Martini.*

Causa Carpen, plebis, &c. *Et infra:* Cæterum ^b primitiæ, ^c decimæ, ^e oblationes in solis Ecclesiarum bonis præcipue numerantur: oblationes verò dicimus quæcunque de propriis, & ^d licitis rebus Ecclesiæ à ^e fidelibus offeruntur. Quicumque igitur eas per manum, vel ^f potestatem obtinet sæcularem, procul dubio contra Domini & contra Sanctorum Patrum nititur institutiones, quin immò & qui accepit, & qui tradit, raptor, & sacrilegus iudicatur.

NOTÆ.

NOT Æ.

- I. ^a **P**aschalis.) Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 13. Paschalis II. antea Renuatus, vel Raynerius dictus, Bledanus patriæ, monachus Benedictinus, creatus fuit Pontifex anno 1099. Scripsit varias epistolas, inter quas forsan extat præfens textus; sed cum illis careamus, integram reddere non possumus.
- b *Primitiæ, & decimæ.*) De quibus, & earum origine egi in cap. 1. de decimis.
2. ^c **O**blationes.) Oblatio est quædam donatio bonorum temporalium facta Deo, vel Ecclesiæ, c. qui oblationes, c. clerici 13, q. 2. & sicut omne, quod hominibus donatur, dicitur donatio, ita quod Deo offertur, appellatur oblatio. Si initium oblationum repetamus, constat in lege veteri earum præceptum extitisse Exodi c. 23, vers. 15. ibi: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Numerorum ca. 6, vers. 11. ibi: *Dixitque Dominus ad Moysen, singuli Duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris.* Docuerunt Suarez de religione lib. 1. cap. 4. Barbosa de iure eccles. lib. 2. c. 23, n. 4. An etiam hoc præceptum repetitum sit in lege gratiæ disputant Interpretes, & affirmant Azor 1. p. instit. moral. lib. 7. c. 17. plures relati à Leandro in præcept. eccles. tr. 6, disp. 10, q. 4. Moventur ex textu in c. omnis Christianus, de consecr. disp. 1. ubi repetuntur ipsa verba Exodi supra relata. Deinde favet eis textus in cap. præter, 32, disp. ubi eadem formulæ verborum refertur præceptum de decimis, primitiis, & oblationibus. Ergo sicut decimæ, & primitiæ sunt sub præcepto Ecclesiæ, ita & oblationes. Faciunt etiam textus in c. de his, q. antiquos 10, q. 1. c. statumus 16, q. 1. ibi: *Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, vigiliis, & orationibus insistendum, & ad Missas cuiuslibet Christiano cum orationibus est currendum.* Sed contraria sententia verior est, videlicet non dari præceptum in Ecclesiæ de oblationibus: quæ expressè probatur in Conc. Cabilon. sub Carolo c. 16. ibi: *Animarum salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi; oblatio enim esse debet spontanea, juxta id quod ait Rex Psalmista: Voluntariè sacrificabo tibi.* Facit Tertullian. in apolog. ibi: *Modicam unusquisque stipem mensua die, vel cum velis, etiam si modo velis, & si modo possit, apponit.* Docet D. Thom. 2. 2. q. 86, art. 1. Deinde quia de ratione oblationis est, ut fiat sponte, juxta illud Exodi c. 25. *Ab omni homine, qui offert ultroque, accipietis eas.* Deinde quia nullum extat præceptum in jure de similibus oblationibus, sed tantum monitio, ut in canonibus pro contraria sententia adductis, & in Conc. Mogunt. sub Carolo can. 44. *Oblationem, & pacem in Ecclesiâ facere jugiter admonetur populus Christianus, quia ipsa oblatio sibi, & suis magnum est remedium animarum.* Quare hanc sententiam probarunt D. Thom. 2. 2. q. 86, art. 1. Covar. lib. 1. var. cap. 17, n. 3, alii relati à Leandro d. tr. de oblat. disp. 10, q. 4. Sunt tamen casus, in quibus adhuc fideles tenentur ad oblationes faciendas. Primus est si consuetudo adsit, ut adest in quibusdam regionibus; talis enim consuetudo omnino est servanda, c. ad Apostolicam, de simon. probat latè Leand. ubi proxime q. 8. Secundus est, quando quis ex voto proprio, aut jussu testatoris facere tenetur, c. clerici, c. qui oblationes 13, q. 2. Conc. Aurel. 2. can. 16. & 12. ibi: *Qui oblationes defunctorum legaliter dimissas quolibet ordine assignare tardaverint, vel detinere presumpserint, à communione*

ecclesiastica suspendantur. Matiscon. can. 4. plura Ant. Augustin. in epit. juris lib. 15, tit. 22. Trullench. lib. 3. in Decal. c. 23, n. 2. Tertius est, si Parochus illis egeat ad commodam sustentationem; quo casu quia parochiani tenentur proprium parochum alere, possunt cogi ad oblationes faciendas, Barbosa lib. 3, juris eccles. cap. 13, n. 3. Olim tamen raro, aut nunquam fideles ad altare diebus Dominicis, & aliis festivis accedebant sine oblatione. 6. Synodus Trul. can. 8. ibi: *Deviendum est sabbatho die cum oblationibus ad Missarum solennia.* Matiscon. can. 4. probat Haerptenus ad vitam S. Benedicti, cap. 23. Albaspineus lib. 1. obser. c. 4. Mendoza lib. 2. Conc. Illibere, cap. 55. Et cum tempore Quadragesimæ in Ecclesiâ Orientali tantum Sabbatho, & Dominico Missæ sacrificium offerre liceret, ideo in canon. 49. Synodi Laodic. prohibentur oblationes fieri aliis diebus, quam sabbatho, & Dominico. Oblationes autem panis, vini, aliarumque rerum, quæ in Ecclesiâ fiebant, non statim altari apponebantur, sed adducebantur ad locum specialiter deputatum, quem veteres gazophylacion dicebant. Concil. Carthag. 4. can. 92. c. oblationes, 90, dist. Possidius in vita D. Augustini, c. 24. ubi exquirebat Diaconus, an oblationes dignæ essent, ut ab Ecclesiâ reciperentur, & tunc in Ecclesiâ Latina sacris altaribus apponebantur; in Græcâ verò antequam ad altare deferrentur, in alia minori ponebantur, quam propositione appellabant. Germanus in hist. eccles. rom. 2. Biblioth. veterum Patrum: & cum sacerdos offerrebat, & benedicebat, eas benedictiones simul offerrebat, & recitabat nomina eorum, tam vivorum, quam mortuorum, qui oblationes faciebant, aut pro quibus fiebant, ut probavi in canone 19. Conc. Illibere. Etiam illis prioribus sæculis fideles ex oblationibus propriis panis, & vini communicabant, immò erubescerent de aliena oblatione communicare. Unde D. Cyprianus epist. 10. increpat cujusdam divitis parcimoniam, qui nihil offerens de oblationibus pauperum communicabat, his verbis: *Loquere, & dives Dominicum celebrare te credis, qui corbonam omnino non respicis, qui in Dominico sine sacrificio venis, qui parrem de sacrificio, quod pauper obivit sumis.* D. Augustinus sermone 215, ibi: *Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communiaverit.* Plura de his oblationibus congesti in canone 23. Conc. Illibere.

d *Propriis & licitis.*) Quædam enim res offerri, aut in altari poni olim propter earum superfluitatem prohibebantur, & in canone 3. Apostolorum, dum prohibetur Episcopis, & presbyteris in sacrificio offerre mel, aut lac, statim ajunt Apostoli: *Propterea licitum non est aliud quidpiam admove ad altare, quam oleum in candelastrum, & incensum oblationis tempore.* Excipiuntur tamen canone sequenti oblationes novarum spicarum, & uvæ recentis, ut benedicerentur; mos enim vetus fuit Ecclesiæ uvam maturam & fabas benedicere ex institutione Eenticiani Pontificis, ut constat ex Pontificali Damasi. Concil. Carthag. 3. can. 3. 6. Synodus Trul. can. 28. ibi: *Primitiæ uvæ, & frumenti offerantur in altari benedicenda sua peculiari benedictione.* Consuetudinem hanc Græcorum, & formatam ipsius benedictionis referunt, atque illustrant Lemaitre de bonis eccles. lib. 1. de decimis, c. 13. Menardus in notis ad lib. sacram D. Gregorii, fol. 173. Etiam in Ecclesiâ Orientali mos inolevit, ut diebus, in quibus sacra mysteria pro infantibus offerrebantur, liceret mel, & lac ad altare deferre, & benedicere. Synodus 6. in Trul. can. 57. ad quæ morè respexerunt Patres

tres in Concilio Carthag. sub Honorio, & Theodosio, cap. 40. ibi: *Primitia autem mellis, & lactis (ut mos est) offerantur uno die consuetum ad infantium mysterium.* In eadem etiam Synodo can. 99. damnatur quaedam Armenorum consuetudo, solebant enim Armeni dissectarum pecudum membra in templum inferre, & coram sacris altaribus partem unicuique distribuere. Verba haec sunt: *Hoc quoque in Armenorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in sacris altaribus carniū membra coquentes, frusta offerunt sacerdotibus, ea iudaicè distribuentes: quocirca Ecclesiam immaculatam servantes statuimus, nulli licere sacerdoti separata carniū membra ab offerentibus accipere, sed iis sint contenti, quae offerenti visa fuerint, eiusmodi oblatione facta extra Ecclesiam.*

4. e *Fidelibus.* Plures enim sunt Christiani, quorum oblationes non recipit Ecclesia. Concil. Lateran. sub Alexandro III. cap. 25. ibi: *Perurarium manifestorum oblationem ne quis accipiat, qui autem acciperit, reddere compellatur.* Et c. 3. de usuris. Concil. Trosleian. can. 7. *Generaliter pauperes vexantium, aut opprimentium oblationes non recipiantur.* Et cap. oblationes, 90. dist. ubi rejiciuntur oblationes fratrum diffideantium. Etiam non admittuntur oblationes haereticorum, c. excommunicamus. 13. de haeretic. raptorum rerum Ecclesiae, c. 2. de raptoribus, ubi notavi; nec eorum, qui presbyterum in testamento filius suis tutorem inscripserunt. D. Cyprianus epist. 27. Nec eorum, qui neglecto pietatis officio filios suos exheredarunt, c. final. 17. q. 4. D. Augustinus epist. 2. ibi: *Profitetur me suscipere oblationes bonas oblationes sanctas, si quis autem irascitur filio suo, & moriens eum exhereditat, si viveret, non eum placarem, non eum reconciliare deberem. Quomodo ergo filio suo volo ut habeat pacem, cuius appeto hereditatem.* Idem D. Augustinus epistola 187. similiter fatetur se non admisisse oblationes ejus qui contra immunitatem ecclesiasticam aliquem ex Ecclesia abtulerit, ibi: *Oblatio domus tua à clericis ne suscipiatur.* Tandem impiorum oblationes ab Ecclesia rejiciuntur, c. non est pntanda 1. q. 1. cap. minor 17. q. 4. Petrus Damianus epist. 36. ibi. *Enim verò dona ab iniquis suscipere quid aliud est, quam propriam animam ex dantis squallore fedare.* Nec etiam oblatio admittitur ejus, qui non communicat, can. 18. Concil. Illiber. ibi: *Episcopum placuit ab eo qui non communicat, munera accipere non debere.* Nec illius, qui poenitentiam solennem facit, cap. de viro 12. q. 2. ibi: *Secundo verò anno ante fores Ecclesiae sine communionemaneant; tertio verò anno Ecclesiam ne ingrediantur, & inter audientes adfent sine oblatione.* Et cap. eos quos, de consecrat. dist. 4. Concil. Ancyran. can. 5. Illerdense can. 9. plura dedi in

d. cap. 28. Concilij Illiber. Nec etiam excommunicati. D. Clemens lib. 3. constit. cap. 8. & lib. 4. cap. 6. Nec etiam ejus, qui à sacerdote aliquà censurà ligatus fuerit. Synodus Nicæna can. 27. in editione Pisana, ibi: *Quicumque fuerit à sacerdote ligatus, quamvis calumniā passus sit, non est ab eo accipienda oblatio.* Item nec ejus qui sibi mortem conleivit. Concil. Altiſſiodorensis can. 17. ibi: *Quicumque se propria voluntate in aquam jactaverit, aut collo ligato se sustenderit, aut de arbore precipitaverit, aut qualibet occasione voluntariè se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur.* Concil. Brachar. 1. can. 34. Nec etiam mulieris, quae menstrua patitur. Concil. Moguntin. cap. 6. Omnium enim istorum oblationes non recipiuntur, quia ut ait Cicero lib. 2. de legibus, donis impij ne placare audeant Deos.

5. f *Per Potestatem.* Oblationes enim fidelium ritè factas in Ecclesia olim Episcopus recipiebat. Symmachus Pontifex in 6. Synodo Romana, ibi: *Oblationes fidelium à nemine percipiantur absque consensu, & voluntate Episcopi, in cuius dignoscuntur esse parochia, & potestate.* Et cap. in canonibus 57. 16. q. 1. Concil. Aurelian. 3. can. 5. ibi. *Si quae oblationes in quibuslibet rebus, atque corporalibus collatae fuerint Basilicis in civitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur.* Plura Antonius Aug. in epist. lib. 15. tit. 21. E. post divisionem parochiarum ad proprium parochiam oblationes spectant, Synodus Bituricensis 1. can. 12. *Presbyteri oblationes, vel luminaria, quae eis ad manus offeruntur tanquam propria sua habeant.* Et cap. quia sacerdotes, c. sanctorum 10. c. 1. Leander dicta disp. de oblationibus, q. 9. Laici verò eas accipientes graviter puniuntur in Concilio Romano sub Calixto, cap. 14. ibi: *Sanctorum Patrum canonibus consona sentientes, oblationes de sacratissimo, & Reverendissimo altari Beati Petri, & Salvatoris, & Sanctae Mariae Rotunde, aut de aliis Ecclesiarum altaribus, sive crucibus à laicis auferri penitus interdiximus, & sub poena anathematis prohibemus.* Et cap. perveniens 16. quest. 17. Circa religiosos, an videlicet oblationes in suis monasteriis factas recipere possint, non consentiunt Interpretes. Et eas ad parochos spectare, docuerunt Trullench. lib. 3. in Decal. cap. 3. num. 13. Azor tom. 1. inst. lib. 2. cap. 17. Sed contraria sententia verior est, probaturque expressè in cap. 1. de statu monach. cap. nimis. de excessibus Pralat. & variis privilegiis id ferè omnibus religionibus concessum fuisse probat Leander ubi suprà, quest. 10. Ex oblationibus tamen factis occasione funeris, quartam partem parochus debet iam probavi in cap. 1. de sepultur. Vnde patet rectè in praesenti doceri oblationes, in Ecclesia factas non posse per Potestatem saecularem usurpari.

CAPUT XIV.

Alexander III.

Quasivit à nobis tua fraternitas, utrum sacerdos uno clerico tantum praesente b infirmum debeat ungere, & quando festum beati Matthiae in anno bissextili debeat observari; praesertim cum quidam inter vigiliam, & festum velint diem interponere. Nos itaque tibi duximus respondendum, quod Sacerdos uno praesente clerico, & etiam solus infirmum ungere potest.

NOTÆ.

NOTÆ.

- I. ^a Alexander III.) Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 9.* & post Concilium Lateran. p. 50. c. 21. nullibi tamen exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex, Concilius addidit Carnotensi Episcopo, cui assentire videtur Antonius Augustinus in presenti, qui ex lib. 14. Regestri ipsius Pontificis citat textum hunc lib. 27. *epist. juris Pontif. tit. 1. cap. 8.* De diocesi Carnot. nonnulla adduxi in cap. 11. *de offic. deleg.*
2. ^b Infirmum.) Subjectum enim capax hujus sacramenti est tantum fidelis infirmus de vita periclitans, ut constat ex epistola canonica D. Iacobi, c. 5. *Infirmatur quis in vobis.* Et epistola 1. Innoc. Papæ ad Decentium, cap. 8. c. unie. *de sacra unctiōe.* Concil. Mogunt. relatum in c. *ab infirmis* 26. q. 7. Aquisgran. 2. sub Ludov. p. 3. cap. 5. Concil. Cabilon. sub Carolo c. 48. ibi: *Secundum B. Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicetur, à presbyteris ungi debent.* Florent. in decret. *de sacrament. vers. 5.* ibi: *Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timeatur, dari non debet.* Trident. sess. 14. *de sacram. c. 3.* & can. 2. ubi deo hoc sacramentum appellatur sacramentum exequitium. Probat Theologi scholastici in 4. dist. 25. ubi D. Thomas q. 2. art. 2. Paludanus q. 4. Richardus art. 2. q. 7. Suarez com. 4. in 3. p. dist. 42. Summistæ de hoc sacramento agentes. Unde cognoscitur quam absurdè nonnulli hæretici sacramentum hoc contulerint defunctis, ut tradit Serarius in opusc. *de hoc sacramento, cap. 3. n. 56.* & constat ex Epiphano hæresi 36. qui descripsit Sirenum lib. 1. epist. 18. ubi docet, eos oleum aquâ mixtum capiti defuncti immisisse, ex quo fieri aiebant, ut defunctus à demonum potestate eriperetur: sed esse apertam stoliditatem, jam probavit Theophilus tom. 15. in *Heteroc. spirit. 2. p. sect. 1. punct. 10. in fine.* Nec cui libet infirmo administrari debet hoc sacramentum, sed graviter periclitanti febrî, vulnere, vel aliâ infirmitate naturali: non tamen conferri debet aliis etiam exsistentibus in vitæ discrimine, veluti ultimo supplicio damnatis, navigantibus, prægnantibus, & similibus. Unde improbanda est falsa pietas quorundam Græcorum, qui hoc sacramentum conferunt bene valentibus, si illum flagitaverint in remissionem peccatorum, ut tradit Franc. Richardus lib. *de expedit. ad insulam S. Irenai, cap. 12.* quam heteroclesin refert, & reprehendit Theophilus Raynaud. tom. 16. in *heteroc. punct. 12. fol. 164.* qui etiam reprehendit nimiam tarditatem aliquorum, qui ne mors acceleretur territo ægro, illum conferunt pœnè jam mortuis: cum ut sacramentum hoc ritè administraretur, debeant esse infirmi in eo statu, ut possint effectum vitæ, si illis expediat, consequi, aliàs si ita morti proximi reperiantur, ut naturaliter vivere nequeant, erit tunc petere miraculum à Deo.

COMMENTARIUM.

3. ^{Conclu-} ^{so tra-} ^{ditur,} ^{et pro-} ^{batur.} EX prima parte hujus textus talis communiter deducitur assertio: *Presbyter etiam unus potest ministrare sacramentum extrema unctiōis.* Probat eam textus in cap. *illud, 95. dist. cap. unie. in princip. de sacra unct. c. 2. de offic. Archipresb. cap. presbyteri 2. 95. dist. cap. presbyteri 123. cap. omnis 124. de consecr. dist. 4. cap. ab infirmis, in fine 27. q. 1. Concil. Cabil. f. b. Carolo can. 48. cujus verba supra retuli: Concil. Aquisgran. 2. sub Ludovico part. 1.*

cap. 8. & p. 3. cap. 5. alia juris testimonia congerit Ant. Augustinus in *epist. juris Pont. p. 1. lib. 27. tit. 1.* Illustrant ultra congestos à Barbola in presenti, Layman. tom. 2. *moral. lib. 5. tract. 3. Bellarmin. tom. 3. de extrema unct. cap. 8.* Suarez *de sacram. dist. 43. sect. 1.* Bonacina eod. *tract. dist. 7. q. unie. puncto 4.* plures congesti à Diana *part. 8. tract. 1. resol. 56.* Leander tom. 1. *de sacram. disput. 4. quest. 1. & 7.* Mendo *de clavibus Petri lib. 4. cap. 4. fol. 557.* Arcud. lib. 5. *de Sacram. cap. 3. Casal. de ritu Eccles. cap. 32.*

Verum hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam plures presbyteros debere sacramentum hoc administrare, constat ex *manu epistola B. Iacobi, cap. 5. ibi: infirmatur quis in vobis, tradit bis, educat presbyteros Ecclesia.* Quare in Ecclesia Orientali consuetudo est, ut septem presbyteri sacramentum hoc extremae unctiōis infirmis conferant, ut ex Simeone Thessalonicensi *epist. 3. cap. 3.* & aliis probat Serarius in opusc. *de hoc sacramento, cap. 1. num. 123.* Igitur non rectè in presenti assertur, presbyterum tantum unum posse sacramentum hoc administrare.

Quâ dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, præmissis quæ de hac unctiōe extrema adduxi in cap. unie. *de sacra unct.* ministrum proprium hujus sacramenti esse presbyterum, Riculfus Senon. Episcopus in sua constitutione, quæ extat tom. 24. *Concil. can. 10. ibi: Item oportet ut presbyteri infirmos suos post confessionem, & reconciliationem oleo sancto perungant, & tunc eos communicent.* Et quamvis nomen presbyteri apud Græcos idem sonet, quod apud Latinos senior, ut probat Cæsar *de Eccles. hierach. dist. 8. §. unum. 2.* & propterea sit æquivocæ significationis, cap. 2. *de vocab. cleric. ibi: Si quis sacerdotum, id est presbyter, Diaconus & Subdiaconus, &c.* quia tamen ab Ecclesia determinatum est, ut presbyteri appellatione sacerdos comprehendatur, ideo dicendum est ministrum ordinarium hujus sacramenti esse tantum sacerdotem, ut distinctum est à Tridentino *ubi supra.* Nihil tamen interest, an presbyter sit major, veluti Episcopus; vel minor, ut simplex sacerdos: quippe sacerdotum ordo bipartitus est, ut scribit Anacletus Pontifex *epist. 3. cap. 1.* majorum scilicet, & minorum, *cap. legimus 93. dist. cap. presbyter 5. 95. dist. Trident. sess. 13. cap. 7.* Sic competit presbyteris majoribus, id est Episcopis, hujus sacramenti administratio, *cap. illud, 95. dist. Leander de sacram. ubi supra, quest. 3.* & quamvis Glossa in d. c. *illud, verbo Chrismate,* existimet Episcopos debere infirmos ungere cum chrismate, ad differentiam aliorum sacerdotum, qui oleo tantum unctur, verius tamen est, Episcopos potius ministrare debere hoc sacramentum oleo tantum, ut materia ordinaria. Vander. *de sacram. tract. 4. dist. 4. q. 9.* Unde quamvis magna detur necessitas, si non adit sacerdos, qui infirmum unget oleo sancto, non poterit alius etiam Diaconus sacramentum hoc administrare, ut post D. Thomam in *supplement. 3. part. q. 33. art. 1. ad 2.* docent Nunno ad D. Thomam q. 31. art. 2. quicquid dicat Waldensis *de sacram. lib. 2. cap. penult.* Sed licet quilibet sacerdos validè conferat hoc sacramentum, licet tamen solus Parochus, aut de ejus licentia tacita, vel expressa, alius sacerdos illud administrare valet. Ratio est, nam hoc sacramentum per modum medicine, non per modum iudicii administratur, *Trid. sess. 14. de extrem. unct. c. 1. 2. & 4.* ergo ad illud validè conferendum non desideratur iurisdic-tio in ministro, sed potestas ordinis: ideo autem licet

licitè tantùm illud administrat Parochus, quia administratio sacramentorum ad eum tantùm spectat, *Clem. 1. de privi. Clement. ad eum, de sepultur. Barbosa de off. Parochi. cap. 22. Trullench. eod. tract. cap. 7.* Ergo simplex sacerdos peccabit graviter ministrando sacramentum hoc absque prædicta Parochi licentia vera, vel interpretativa. Urgente autem necessitate, & absente Parocho licitè quilibet sacerdos etiam religiosus hoc sacramentum ministrare valet, quia tunc datur licentia interpretativa Parochi, cum credibile non sit, Ecclesiam velle infirmum private tanto sacramento. Sorus in 4. dist. 23. q. 2. art. 1. Cajetan. in summ. verbo *Extrema unctio*. Immo etiam Parocho præsentè, & injustè nolente hoc sacramentum conferre, poterit illud quilibet sacerdos etiam religiosus ministrare, nam tunc censetur concessa ab Episcopo licentia. Docent Suarez de sacram. disp. 54. sect. 2. n. 3. Torrelblanca de jure spirit. lib. 2. c. 11. n. 28. Nec interest quod Parochus excommunicatus sit, aut suspensus, ut hujusmodi licentiam concedat. Sylvester in summ. verbo *Extrema unctio*, qu. 4. Possévinus de off. curat. c. 9. q. 7. n. 17. Suarez d. sect. 3. An verò urgente necessitate possit ipse parochus excommunicatus licitè sacramentum hoc administrare, quærent Moralitæ. Negant Suarez d. sect. 3. n. 6. Bonacina de hoc sacramento, quest. univ. punct. 4. n. 4. Villalob. in summ. difficult. 6. n. 6. Torreblanca d. c. 11. n. 28. Affirmant Nunno ad D. Thomam d. dist. 9. 31. art. 3. difficult. univ. Zan biana, Possévinus, & alii, quos refert, & sequitur Diana 5. part. tract. 3. resol. 81. & 89. qui moventur ex eo, nam in mortis articulo sacerdos etiam excommunicatus potest licitè à peccatis absolvere: ergo, & extremam unctionem ministrare. Accedit, nam tempore interdicti licitè administratur hoc sacramentum, cap. quod in te, de pœnis. & remiss. Ergo facilius urgente necessitate poterit ministrari à Parocho, etiam suspensio, vel excommunicatio.

6. *Traditur ratio* His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo provenit, nam cum sacerdos sit verus & legitimus hujus sacramenti minister, non indiget aliis presbyteris de necessitate sacramenti ad eum administrationem: docuit D. Thomas contra Gentes c. 83. in fin. dum scribit: *Quia hoc sacramentum perfectæ curationis effectum habet. & in eoque requiritur copia gratiæ, competit huic sacramento, ut multi sacerdotes intersint. & ut orationibus Ecclesiæ ad effectum hujus sacramenti adjuventur: unde D. Iacobus dicit, inducat presbyteros Ecclesiæ, & oratio salvabit infirmum. Si tamen unus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute ipsius Ecclesiæ, cujus minister existit. & cujus personam gerit.* Hactenus D. Thom. Accedit & alia ratio ab eodem Angelico Doctore adducta 3. p. q. 67. art. 6. nempe quod sicut principalis auctor sacramenti, qui Christus Dominus est, una persona existit, ita minister, qui ipsum repræsentat, una tantùm persona esse debet: non tamen potest minister hujus sacramenti adhibere fœminam, ut sibi respondeat, ut probat contra Quintanadvennas Leander tom. 1. de sacram. q. 22. disp. 4.

7. *Dissolvitur dubitatio.* Nec obstat dubitandi ratio supra adducta ex illis verbis D. Jacobi, *Inducat presbyteros*. Nam in sacra pagina frequenter sub plurali numero, non pluralis, sed singularis persona, vel personarum qualitas significatur, ut apud D. Lucam cap. 17. ibi: *ite, & ostendite vos sacerdotibus;* id est cuilibet de sacerdotibus. Et D. Paulus ad Hebræos c. 11. vers. 83. ait: *Obstraverunt ora leonum.* Et tamen qui ob-

turavit ora leonum, unus fuit, videlicet Daniel. Sic D. Mathæus c. 17. & D. Marcus cap. 15. referunt latrones cum Christo crucifixos imbecillitatem illius exprobrasse; cum tamen D. Luc. c. 23. vers. 39. disertè scribit: *Unus autem de his qui pendebant, blasphemabat eum.* Notarunt Cajetanus ibi, D. Augustinus de consensu Evangelist. c. 16. Joannes de Paiva in doctrin. sacr. Script. lib. 3. cap. 2. & lib. 15. c. 41. & lib. 17. c. 40. Unde intelligitur locus aliàs difficilis D. Matthæi, c. 26. ibi: *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes.* Ubi pluralis stat pro singulari; siquidem unus tantùm, videlicet Judas; indignatus fuit. Unde cum D. Jacobus d. dist. epist. 5. ait: *Inducat presbyteros,* accipiendus est, ut vocet unum ex presbyteris. Docuerunt Serarius in d. dist. opusc. c. 4. n. 71. Suarez de sacram. d. disp. 43. sect. 2. n. 1. Filiucius eod. tract. c. 50. n. 90. Nec etiam obstat mos Ecclesiæ Orientalis, nam ut rectè considerant DD. ubi supra, cæteri sacerdotes præter unum ungentem, & formam præferentem superfusi sunt, si intendant exequi, conficere, aut iterare sacramentum; quo casu graviter peccabunt. Cæterum si non intendant simul conficere, aut iterare, sed unus faciat unam, pluresve unctiones proficendo formam, alius verò sacerdos compleat quod defuerit, poterit tunc validè ministrari sacramentum hoc à pluribus, & quandoque licitè, veluti urgente necessitate infirmi, vel deficiente sacerdote, qui priorem fecerat unctionem, ut docent Henriquez lib. 3. summe, ca. 12. §. 4. & c. 13. §. 3. Suarez d. disp. 43. sect. 2. Macedo de clavibus Petri lib. 4. c. 4. Diana part. 5. tract. 3. resol. 87. cum sequen. post D. Thomam in 4. dist. 23. art. 1. quest. univ. 2. ad 3. Quo modo accipi potest Græcorum consuetudo, vel potiùs, ut plures intersint, unus quidem ut ministret, cæteri verò ut respondeant.

8. *Exponitur Epistola Innocentii* Sed supra traditis ob stare videtur Innocent. I. in epistola 1. ad Decentium c. 8. in illis verbis: *Sanè quoniam de hoc sicut de cæteris, consulere voluit dilectio tua, accepit filius meus Cælestinus Diaconus, esse à dilectione tua peritum illud, quod in Apostoli Iacobi epistola conscriptum est: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum: quod non est dubium de fidelibus egrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismati perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solum sacerdotibus, sed omnibus uti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate ad unguendum. Hucusque verba Pontificis, quæ inveniuntur 1. tom. Concilior. Severini pag. 752. & referuntur à Beda in c. 6. Marci, & in Conc. Wormac. can. 62. Ex quibus deduci videtur, laicum etiam posse ungeri infirmum: ergo quia presbyter tantùm non est minister hujus sacramenti. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est Innocent. dum affirmat omnibus Christianis uti licere oleo illo in sua, aut suorum necessitate, accipiendum esse passivè, non activè; ita ut mens Innocentii sit, Christianos omnes uti posse oleo in sua necessitate, non ut ministri, qui sacramentum conficiant; sed ut personæ, quibus sacramentum à sacerdotibus ministraretur. Ita docuerunt Jansenius ad caput 6. D. Marci, Corn. à Lapide in d. epist. D. Iacobi, Bellarm. de extrema unct. c. 9. Nunno ad d. q. 31. D. Thom. art. 2. ad 4. Serarius in d. opusc. cap. 4. n. 72. Granados de extrema unct. disp. 8. n. 2. Becan. eod. tract. c. 27. q. 9. quamvis alii minus rectè accipiant verba illa de unctione extra sacramentum, quos refert Arcudius de extr. unct. c. 2. & 4.*

S.

Festum Beati Matthiae juxta consuetudinem ecclesiasticam^a vigilia eatenus praecedat, ut nec pro bissexto, nec quolibet alio modo inter se, & solennitatem aliam diem admittat. In qua utique, nisi vigilia venerit in^b Dominica die, jejunium celebratur. Ipsum autem festum, si fiat in praesente die, vel in sequenti, qui duo quasi pro uno reputantur, nullus error, sed Ecclesiae consuetudo teneatur.

NOTÆ.

^a *Vigilia.* De qua egi in cap. 1 de observ. jejun.
^b *Dominica.* Quo die jejunari non potest, ut probavi in d. c. 1. cap. 3. de observ. jejun.

COMMENTARIUM.

I. PRO hujus textus expositione sciendum est, annum naturalem juxta Astronomicam investigationem dividi in menses, dies, horas, puncta, momenta, uncias, & atamos: constat verò naturalis annus, qui secundum diversos diversa principia habuit, ut tradunt Joannes de Sacrobosco in *computo ecclesiastico, tit. de anno solari.* Covarr. *libr. 4. var. c. 18. n. 4.* (qui & solaris dicitur, eo quod spatium temporis sit, quo sol circumiens totum Zodiacum motu proprio regressitur ad idem punctum, à quo digressus fuit) 365. diebus, & unius diei quadrante Achilles Tacius c. 19. ibi: *Annus solis appellatur ab eodem signo ad idem redeuntis conversio in 365. diebus & exigua insuper parte.* Plato in *Timaeo*, Censorinus de die natali c. 22. Cicero de *natura Deorum*, Plutarchus in *Numa*, Galen. ad *lib. 1. Hippocratis*, id est sex horis, quæ confusionis vitandæ gratiâ integræ supponuntur, cum revera naturalis cursus solis eas integras, & completas non absumat, auctore Sacrobosco ubi *supra*. Ex hoc autem sex horarum spatium quoniam difficile erat eas cuilibet anno continuare, singulis quadrienniis dies integer collectus, & insertus fuit: quod instituisse Imperatorem Cajum Jul. Cæsarem constat ex Suetonio in eo, c. 40. Solino in *Polihistor.* c. 3. Plutarch. in *Numa*, & in *Cæsare*, Censorino de die nat. c. 20. Macrobi. *lib. 5. Saturn.* c. 13. & probant Alciatus in *l. cum bissextus. de V. S.* Bened. Egidius in *leg. Titia*, 3. p. n. 3. ff. de *condit. & demonstr.* Itaq; ubi quadrantes diem faciebant, quod contingit quarto quoque anno, hic dies intercalabatur, id est interserebatur, & cum praecedenti confundebatur, ut ejus ratio non haberetur. Quæ intercalatio hodie servatur ex ritu Apostolico, & ex constitutione Gregor. XIII. Pont. Max. de *ordin. tempor.* quæ est 74. in ordine tom. 2. *Bullarii Magni*. Intercalatio autem fiebat ex constitutione Cæsaris circa festum terminalium, nempe die 24. Mensis Februarii, ut prodit Macrobius d. c. 13. qui dies 24. computatione latina ita denotatur. 6. *Kalendas Martias*. Cum ergò additius dies cum illo 24. confunderetur, ita computabant veteres, cum annus bissextilis erat, *bissextio Kalen. Mart.* ex quo bissexti appellatio fluxit postin-

tercalationem Julii Cæsaris, ut colligitur ex Macrobio, & Censorino ubi *proximè*. At verò ante Jul. Cæsarem, cum annus constaret ex statuto Numæ 354. diebus, quatuordecim integri dies intercalabantur ad finem mensis Februarii, & ita eveniebat, ut cuncti hi dies cum ultimo pro eodem die supputarentur, nec numerum augerent; tunc verò non dicebatur bissextum, sed mensis intercalaris, duplici ratione. Prima, quia non fiebat intercalatio in sexto die ante Kalend. Martias, sed in posteriori die Februarii. Secunda, quia non unus dies cum alio intercalabatur, qui efficiunt binarium numerum, sed aliquando 14. aliquando plures, itaque bissexti appellatio fluxit à computatione Jul. Cæsaris, nec ab antiquioribus Consultis cognita fuit. Quæ latius prosequuntur Budæus in *notis prioribus ad Pandect. in l. 3. §. minor. ff. de minor.* Rufinus *lib. 4. antiquit. c. 11.* Ant. Clarus Silvius ad *l. Regias. c. 5.* Cujac. in *l. in usucapionibus. ff. de usucap.* Albert. Gentil. de *var. tempor. appell. c. 4.* Carranza de *partu. c. 12. §. 5. à princ. Egid. Boss. tom. 1. oper. moral. tit. 2. §. 25.* ex quo principio explicandi sunt textus in *l. cum heres 4. §. Stichus ff. de statu lib. l. 1. itaq; vers. estimatio ff. ad l. Aquil. l. cum bissextum 98. l. anniculus 134. ff. de V. S. l. 2. ff. de divers. temp. l. in usucapionibus. ff. de usucap. quas perdoctè illustrat D. Joseph. de Retes in *prætermis. ad tit. de usucap.**

Ex supra traditis apparet verus sensus præsentis textus; nam cum dies S. Matthiae dicata sit 24. mensis Februarii, quæ sitivit Carnotensis Episcopus ab Alexandro, cum in anno bissextili in ea die intercalatio fiat, qua in die esset jejunandum? Et respondit Alexander III. die 23. jejunandum esse, non 24. sive 6. Kalen. Martii, quia illa dies festiva est, nec propter bissextum mutatur. De ipso etiam festo celebrando consuluit Episcopus Alexandrum, quoniam videlicet die celebrandum esset, sexto, an bissexto, an utroque, quia hi duo dies pro uno computantur, & in utroque sistitur in una eademque litera Kalendarii, & nihil de solenni computatione immutatur, ut notatur in Martyrologio Romano. Et responderet Alexander, sublato omni computationis errore, posse celebrari alterutro, & his duobus diebus, quia pro uno reputantur; sed in hoc piæ Ecclesiarum consuetudini standum esse. Ecclesia Hispana semper celebrat festum hoc die 24. forsitan Ecclesia Italiae his temporibus illud celebrat, ut hodie celebrat, die 25. quando annus est bissextilis. Unde manarunt versus, quos adducit Glossa in præsentis.

CAPVT XV.

Clemens III.

In iis, quæ in se ambiguitatem continent, ad Sed. Apost. ex debito recursus habetur, ad quam reverà, tanquam matrem, & caput omnium Ecclesiarum, majores, & difficiliore quæstiones ab antiquis Patribus constitutum est, & moribus utentium rectè approbatum, usquequaque conferri debere. Innotuit siquidem Apostolarum nostro, quod cum de controversia, quæ inter Magi strum Matth. & conversos Hospitalis sancti

sancti Simpliciani super eodem hospitali haberetur in presentia V. fratris nostri O. Archiepiscopi Mediolanensi concertatio verteretur, ipse Archiepiscopus post cognitionem causae in prolatione sententiae his verbis non fuit ulus, ut secundum jus civile diceret: Talem partem condemno, & talem absolvo; sed pronunciavit ita: Statuo, & praecipio, ne de cetero, & reliqua: & infra, ut expressim continetur in instrumento. Quoniam igitur, sicut ex relatione dilectorum filiorum nostrorum Chorinth. tit. S. Laurentii in Lucina, & Joan. sanctae Priscae Presbyteror. Cardinalium didicimus, quos ad hoc concessimus auditores, super hoc fuit in prolatione sententiae dubitatum: Nos attendentes, quod hoc verbum Statuo, secundum legem rem perfectam significat, & cum effectu, non verbo tenus accipitur: item secundum Gregorium, quod praecipitur, imperatur, & quod imperatur, necesse est fieri; & aliquando si non fiat, poenam habet: considerantes nihilominus, quod juxta eundem Gregorium, non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia intentio non debet verbis deservire, sed verba intentioni; interpretatur in presenti articulo, & de fratrum nostrorum consilio, procuratoribus utriusque partis praesentibus, diffinimus, quod praefati Archiepiscopi verba tali forma prolata perpetuo valiturae sententiae obtineant firmitatem. Nos itaque sententiam ipsam, licet appellationis obstaculo hucusque fuerit impedita, praesenti pagina, cessante appellatione confirmamus, & hujus scripti patrocinio communitus, statuentes, & auctoritate Ap. praecipientes, ut ipsius hospitalis praefati fratres Abbati, ejusque successoribus obediant in perpetuum, tanquam Praelatis illis, & Dominis, sicut ipse Archiepiscopus praecipit.

NOTA.

1. ^a Clemens III. Ita legitur in secunda collectione sub hoc tit. cap. unio. & fuisse textum finalem illius collectionis notavit Albericus Gentili de libris juris canonici. fol. 8.
b Gregorium. In cap. quod praecipitur 14. q. 2.

COMMENTARIUM.

2. Certum est, sententiam non aliter finem controversiae imponere, quam si iudex pronunciando absolverit, vel condemnaverit rem, alioquin sententia diffinitiva nullius momenti est, l. 3. Cod. de sent. & interl. cap. ei qui 41. §. diffinitiva 2. quest. 6. Hac de causa olim non aliter concipiebatur sententia, quam per verbum condemnandi, aut absolvendis, cum acceptis tabellis, iudex qui de causa cognoscebat, si absolvetur erat, litteram A, in urnam mittebat; si vero condemnare intendebat, litteram C, ut jam probavi in cap. de muliere, de sponsal. Sed postquam tabellae sententiarum in deluetudinem abierunt, etiam sententiae concipi coeperunt non ex formula, sed liberè, prout judicantibus melius visum fuit, & quibus verbis commodius exprimerent verum iudicium suum; & ita non sunt necessaria verba absolvo, & condemno, sed sufficienti aequipollentia, quibus sopiatur lis, & omnino a iurgio discendatur. l. Pomponius 13. §. recepit, l. quale 19. §. 1. ff. de recep. l. in sententiis 59 in princip. §. 1. ff. de re judic. unde inferitur, valere sententiam, si iudex dixerit, Semium nummos debere; licet non dixerit, Eumque condemnare ut solvat, l. si Praetor 75. ff. de judic. vel si dixerit, quantum ei debes reddere, l. qui tamen 21. §. Pomponius. ff. de arbit. vel servum in causa rehibitionis esse, l. quaro 58. ff. de adilit. edict. vel rem alicujus esse, l. Pomponius 40. §. sed §. bis. ff. de procurat. l. si inter me 15. ff. de except. rei judic. l. ult. ff. de hered. instit. vel non probasti, aut calumniatus es, l. 1. §. quorum. ff. ad Turpil. vel si cum praecessisset certa praefinitio summam petita; iudex pronunciaverit. Solve quod debes; l. quod petitum, juncta

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

l. quid tantum 21. §. Pomponius. ff. de arbit. l. in sententiis 59. §. 1. ff. de re judic. vel si dixerit. Restitue illi, quod in codicillis, vel in testamento accepit, l. ait Praetor. §. 1. ff. de re judic. vel si pronunciavit nullam iniuriam Lucium Titium a Gaio Seio passum fuisse, l. Lucius 21. ff. de his qui not. infam. vel injuriam aliquam fecisse, l. Decuriones, C. ex quibus caus. infam. irrogetur; vel falsum testamentum non esse, l. nec tale 24. ff. ad leg. Corn. de falsis; vel non posse amplius de falso testamento agi, l. cum Titia 18. ff. de accusat. vel si utatur verbo, staturo, ut in praesenti specie, vel verbo, videtur, ut in l. quid tamen 21. §. 1. ff. de arbit. l. 3. ff. de bis, qua in testam. delent. l. Divi 27. §. ult. ff. de lib. cans. l. cum quidam 26. ff. de iure fisci, l. 1. §. queri potest. ff. ad Turpil. c. de cetero, de re judic. Probavi in apparatu ad haec commentaria; immo si iudex pronunciet absolvendum aliquem esse, vel condemnandum, licet non adjecterit, illumque condemno, vel absolvo, tamen optimo jure sententia tenet, ut deducitur ex lege Emiliae 38. ff. de minoribus, ibi: Quia tamen lex commissoria displicebat ei, pronunciavit in integrum restituendam. Et probatur ex validissima ratione; nam illa verba, condemnandum pronuncio, non significant sequi postea debere condemnationem ab alio iudice faciendam, sed talia esse merita processus, ut reus debeat condemnari, quam opinionem tenuerunt antiquiores cum Glossa, quos refert Grassus in l. 1. num. 19. ff. de re judic. Sarmiento lib. 1. select. in c. 14. nu. 2. Olvaldus lib. 27. Donel. c. 2. littera E. quamvis contrariam sententiam defendant plures classici apud eundem Sarmientum ubi proxime, Marant. in specul. tit. de sent. 6. part. num. 15. & 125. Vantius de nullit. ex defectu processus, num. 91. qui audent asserere, plures sententias nullas declaratas fuisse ob praedictum defectum: quare forsitan hodierna praxis observat, ut in sententiis addatur: Fallo que le debo condenar, y condeno. Quasi non sufficerent prius, nisi posteriora quoque sequerentur. Quaecunque enim verba significantia condemnationem, vel absolutionem, sufficienti ad valorem sententiae, ut ex praesenti textu constat, & ex §. curare, ubi Iaso. Instit. de act. l. 2. §. 1. ubi Greg. gl. 8. tit. 22. p. 3. Latius

Ggg 2

profes-

prosequuntur Duar. in l. sententiis 59 ff. de rejudic. Donel. & Osualdus ubi supra, Treutl. volum. 2. select. disp. 23. thes. lit. A. Richardus in manud. in pralud. §. 2. num. 17. Marienzo in dialog. relat. 3. part.

ex cap. 36. Azevedo in l. 10. tit. 37. lib. 4. Recopil. unde apparet recte in presenti Clementem docuisse sententiam prolatam per verbum statim, validam fuisse.

CAPUT XVI.

Idem Patriarchæ^a Gradenfi.

Olim tibi scripsisse recolimus, ut si dil. f. Archipresbyter, & Canonici Paduani, quibus super hoc scripta nostra direximus, dil. f. M. G. Canonico Paduano præbendam, quæ tantum residentibus de communi confertur, sicut uni ex aliis de communibus proventibus, & ^b manualia beneficia, omni dilatione postposita non conferrent, tu eos ad id appellatione cessante compelleres. Verum quia, sicut nostro Apostolatu referatur, quidam mandatum nostrum interpretari aliter, quam deceat, moluntur, cum beneficia principalia sint interpretanda largissimè: volentes à mandato nostro dubietatem auferre, non quæstionis scrupulum reservare, ut quæ mandamus, diligentius & liberius exequaris, nostrum tibi in eo aperiendum duximus intellectum. Videlicet quod præbendam, quæ tantum residentibus in victu, & vestitu de communi confertur, ipsi Mag. G. plenè, sicut uni ex aliis residentibus, injunximus conferendam. Quocirca f. t. per A. f. m. quat. in negotio ipso malitiosam interpretationem aliquam non attendens, sic quod de præfato Magistro tibi præcipimus, sublato cujuscunque appellationis obstaculo, exequi studeas diligenter.

NOTÆ.

^a **G**radensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione. *sub tit. de rescript. c. 7. de Gradenfi Patriarchæ in cap. ex literis, de offic. deleg. cap. antiqua, de privil.*

^b **Manualia.**] Id est distributiones quotidianas, ut in *cap. unic. de cleric. non resid. lib. 6.* & probavi in *cap. licet, de præbend.* Sed tunc obstat illa non levis difficultas; nam quod potest concedi privilegio, potest induci consuetudine, & e contra, *cap. duo. de offic. Ordin. cap. super quibusdam, §. præterea de P. S. junctis larè traditis à Felino in cap. accedentes, à n. 6. de prescrip. Covar. lib. 1. variar. cap. 10. num. 14.* Sed consuetudine introduci non potest, ut absens, & non residens in propria Ecclesia, lucretur distributiones quotidianas, *d. cap. unico, de cleric. non resid.* igitur nec privilegio concedi potest absenti jus percipiendi distributiones. Cui difficultati succumbens Probus in *d. cap. unic. num. 1. vers. Ex quibus,* docet Summum Pontificem non posse dispensare cum absente à propria Ecclesia, ut percipiat distributiones quotidianas, quia talis dispensatio, utpote contra naturam ipsarum distributionum, repugnantiam includeret, juxta textum in *cap. cum ad monasterium, de statu monac.* Verum hæc sententia facile refellitur, siquidem hujusmodi distributiones non sortiuntur prædictam naturam, ex jure divino, aut naturali; sed tantum ex Ecclesiæ constitutione, ut probavi in *cap. cum omnes, de consit. quo casu plenissimam habet Pontifex dispensandi facultatem, cap. proposui, de concess. præbend.* Vnde concessum legimus à Paulo III. & Pio V. Inquisitoribus hæreticæ pravitatis, eorum ministris, & commissariis, ut non solum fructus suarum præbendarum, verum & distributiones quotidianas, dum rebus fidei inserviunt, percipiant, ut referunt, & explicant Rojas de *privil. Inquisit. n. 420.* Spino in *speculogloss. 3. princ. p. n. 78.* Barboia ad *Concil. Trident. sess. 24. de reform. c. 12. & de canonicis. §. dignit. cap. Solorzanos tom. 2. de jure Indiar. lib. 3. cap. 24. n. 78.* Villaroel *tom. 1. regim. Eccl. g. 5. art. 5.* Azor, Ca-

stropalao, Garcia, & Lothar. quos refert Thomas Hurtado p. 1. de *resid. resol. 3. per. cor.* Idemque Auditoribus Sacræ Rotæ concessum esse à Clemente VII. refert Barboia ad *Trident. d. n. 48.* Quare omisâ prædictâ sententiâ, ut difficultati satisfaciamus dicendum est, principium illud, videlicet parem vim habere privilegii, & consuetudinem, procedere data æqualitate rationis; in præfenti vero casu magnam adesse differentiam rationem, quia scilicet quando privilegium conceditur contra naturam alicujus actus à lege instituti, quædam cognitio lolet præcedere, quæ ad id faciendum inducat, *cap. requirunt, vers. Nisi rigor, l. 9. 7.* quæ manifestè cessat in consuetudine contra naturam actus, ac proinde non decebat hanc vim consuetudini deferre, prout in aliis multis denegata est, ut in *cap. Messana, de elect. cap. clerici, de judic.* In quibus tamen casibus licitum est privilegium, exponit glossa communiter recepta in *cap. Imperium 10. dist. cap. præter 26. verbo Dnabus, 32. dist.*

COMMENTARIUM.

Cum Innocentius III. mandasset Capitulo Paduano, ut magistro G. præbendam, & manualia (quæ tantum residentibus dari solebant) conferrent, ipsi malitiosè gratiam ipsam interpretantes, assererent se non teneri mandatum adimplere, quia ipse Magister non residebat, & in ipso rescripto expressè cavebatur, ut illi præbendam conferrent, quæ uni ex residentibus assignari solebat. Et cum consultus fuisset Innocent. pro explanatione ipsius gratiæ rescribit, quod cum beneficium Principis latissimè sit interpretandum, dicto Magistro præbenda quæ tantum residentibus in victu, & vestitu assignatur, erat conferenda: ex qua decretali sequens communiter deducitur assertio: *Beneficium Principis latissimè est interpretandum.* Probant textus in *c. si quem, §. prevaricator, q. 3. c. frater 16. q. 1. c. de auctor. §. usu pal. cap. cum dilecti, de donat. c. ex parte, de decimis. cap. qui a circa, de privil. cap. si quem, §. notandum 2. quest. 3. cap. visis 16. quest. 2. c. pastoralis, de donat. l. beneficium ff. de cons.*

const. Princip. l. 1. ff. de jure immuni. Illustrant ultra congestos à Barbolà in *præsenti*. Duarenus ad *tit. de constit. Princip. cap. 3.* Donel. *lib. 1. comment. cap. 29.* Connanus *lib. 1. comment. cap. 16. num. 6.* Rebuffus de *privil. schol. privil. 32. num. 12.* Menochius *lib. 3. de presumpt. presumpt. 97. num. 19.* & *presumpt. 103. num. 21.* Mantica de *conject. lib. 8. tit. 6. num. 11.* & de *tacit. tit. 4. num. 57.* Valascus *consult. 58. num. 11.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 4. num. 33.* Rebelus de *justit. 2. par. lib. 1. de contract. quest. 2. sect. 1.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 27. num. 9.*

3. *Impugnatur tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti juris consideratione; nam beneficium, seu privilegium contra jus concessum, non latè interpretari, immò restringi debet, *cap. 1. §. 2. de filiis presbyt. lib. 6. cap. quod dilecto, de consanguin. & affin.* Sed beneficium, de quo in præsentibus, contra jus commune concessum fuit; siquidem secundum jus commune præbendæ, quæ in victu, & vestitu consistunt, tantum divinis officiis interessentibus, non verò absentibus assignari possunt, *cap. unic. de cleric. non resid. lib. 6.* igitur in præsentibus casu beneficium Pontificis latè interpretari non poterat. Accedit, nam collatio præbendarum ad Capitulum spectat, ut probavi in *cap. 1. ne Sede vacante.* igitur cum ex ampliatione præsentis beneficii magnam præjudicium irrogaretur Canonicis, non ampliandum, immò potius restringendum beneficium videbatur, juxta legem *quotiens. Cod. de præb. Imper.* Deinde principium illud ab Innocentio adductum, videlicet beneficium Principis latissimè esse interpretandum, difficile videtur, siquidem variis juris testimoniis docetur beneficium Principis strictè interpretari debere, ut in *l. 2. §. si quis à Principe, & §. merito. ff. ne quis in loco publico. l. si quando 35. in princip. Cod. de inoffic. cap. final. de præb. l. sepe. ff. de officio Presid. Authent. de non alienandis, §. quia verò collat. 2.* Ergo non rectè in præsentibus docetur, beneficium Principis latissimè esse interpretandum.

4. *Traditur ratio decidendi.* Quà difficultate oppressi repetentes in præsentibus varias interpretationes adduxerunt præsentibus decisionibus. Glossa in *præsenti* recurrit ad voluntatem Pontificis, assertens ideo in terminis hujus textus latissimè fuisse factam interpretationem, quia sic Innocentius voluit. Verum hunc Glossæ intellectum merito improbat Panormitanus hic, quia Summus Pontifex ferè semper respondet juxta jus commune, *cap. in causis de rejudic.* Unde in præsentibus casu, si beneficium ab eo concessum repugnabat juri communi, ab eo non ampliari, immò restringi debebat: quare ipse Panormitanus sequitur alium Glossæ intellectum, videlicet in præsentibus

casu beneficium non juri communi contrarium, immò secundum jus fuisse, quia Magister hic absens erat in servitio Episcopi, vel Pontificis, & sic juxta jus commune debebat pro præsentibus judicari, juxta tradita in *cap. 7. de cleric. non resid.* & ita cum juri communi conforme esset, debebat ampliari potius quàm restringi, ex *l. final. ff. de constit. Princip.* Deinde Glossa, & Abbas fatentur, privilegium, de quo in præsentibus, esse quidem contra jus commune; ideo autem in eo fieri latissimam interpretationem, quia constabat de intentione Pontificis volentis huic Magistro, etiam non residere, providere tanquam residenti, ut aperte colligitur ex illis verbis, ubi Pontifex jubet isti Canonico provideri sicut uni ex aliis residentibus. Sed iis sententiis omissis, verius dicendum est, in præsentibus specie ideo latissimam fieri interpretationem, quia non agebatur de privilegio, sed de mandato de providendo, quod ex motu proprio Summi Pontificis emanavit, ideo latissimè est interpretandum, juxta textum in *cap. si pluribus, de præb. in 6.* Aliter dicendum est, si mandatum illud simpliciter concessum esset, quoniam tunc ut odiosum strictè erat interpretandum, juxta textum in *cap. quamvis 4. eodem tit. de præb.*

Unde non obstat dubitandi ratio supra adducta, siquidem in præsentibus non de privilegio, sed de mandato de providendo agitur, in quo interpretatio non est strictè faciendâ. Nec obstat, quod etiam in hoc mandato præjudicium Canonicorum veretur, quia ipsi de jure communi poterant præbendam conferre, ideoque mandatum esse odiosum: quoniam respondetur, hoc non esse considerabile quando Summus Pontifex, concedit simile mandatum, quia ipsi Pontifici competit suprema beneficiorum dispensatio secundum idem jus commune, *cap. 2. de præb. lib. 6.* Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ex variis utriusque juris locis, in quibus docetur, privilegium Principis strictè esse interpretandum. Pro quorum solutione, & concordia cum aliis, in quibus contrarium docetur, dicendum est, discrimen esse constituendum inter privilegium, seu Beneficium, quod alicui conceditur cum tertij præjudicio; & inter illud privilegium, quod aliquid præter jus continet, ex quo nulli præjudicium sequitur. Primo casu quodlibet beneficium, seu privilegium strictè interpretandum est, *l. penult. cum aliis supra adductis, de constit. Princip.* Secundo verò casu amplè, & plenissimè interpretandum est in eodem casu, vel persona, de qua loquitur, non verò extra casum, vel personam in beneficio expressam, ut jam notavi in *cap. 7. de privil.*

5. *Dissolvitur dubitandi ratio.*

CAPVT XVII.

Idem^a Colubriensi, & aliis Episcopis in Regno Portugallie constitutis.

CUM in partibus vestris, peccatis exigentibus, sæpe contingat diversa loca interdicto supponi, quando generale, vel particulare dici debeat interdictum, apud vos accepimus in dubium revocari; cum illi, qui ab Ecclesia Romana decorari privilegio meruerint, videlicet ut cum generale interdictum terræ fuerit, liceat eis clausis januis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis, & interdictis, suppressa voce divina officia celebrare, interdicto particulari se afferant non arctari, afferentes illud interdictum generale dumtaxat, quando regnum, vel saltem provincia

D.D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.

Ggg 3 tota

tota subijcitur interdictio: propter quod, & iustitia sapius deperit, & Prælatorum sententia contemnuntur, cum in aliis provinciis interdictis divina celebrent, & suspensis organis aliorum, ipsi pulsatis campanis, & apertis januis, quoslibet passim recipiant ad divina. Ne autem diversa interpretatio discordia causam inter vos ulterius, & odii fomitem valeat ministrare, vel quod interdictum dici debeat generale, amodò in dubium revocetur, significatione vobis præsentium intimamus, quod cum in privilegiis de regno, vel provincia nihil expressè dicatur, nomine terræ non solum regnum, vel provinciam intelligi volumus, verum etiam ^b villam, & castrum, ut & in his locum habeat, quod de generali dicitur interdictio, videlicet ut cum villa, vel castrum generali subijcitur interdictio, præscripta privilegii forma debeat observari.

NOTÆ.

- I. ^a **C**olubriensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 1. & in ipso registro epistolarum correcto à Sileto, fol. 266. De Colubriensi Ecclesia egi in cap. 8. de procurat.
2. ^b Villam, & castrum.] Consonant textus in

cap. præsentis, cap. si autem, hoc tit. in 6. & Probat Gibalinus de censur. disquisit. 1. quest. 2. num. 24. Et hanc, & alias divisiones interdicti adduxi in cap. cum inter, de consuet. ubi & in cap. 2. de his que sunt à Prælati, & in cap. quod in te, de penit. & remiss. plura de interdictio adduxi.

CAPVT XVIII.

Idem ^a Altrissiodorensi Episcopo.

Cum tibi de benignitate Sed. Ap. sit indultum, quod ordinatio rerum clericorum ab intestato decedentium liberè in tua potestate, ac dispositione permaneat, volens omnem materiam scandali remove, quod aliquando inter te, & tuos est subortum, super duobus nos consulere voluisti. Primò, an appellatio vocabuli clericorum, tam ad canonicos, quàm ad non canonicos extendatur. Secundò, an illi, qui in voluntate, & dispositione alterius suam committunt ultimam voluntatem, nihil per se penitus ordinantes, vel determinantes quid cui loco, vel personæ conferri debeat, dicantur decedere intestati. Primæ igitur consultationi tuæ duximus respondendum, quod appellatio clericorum non solum alios, sed & canonicos comprehendat. In secundâ verò dicimus, quod qui extremam voluntatem in alterius dispositione committit, non videtur decedere intestatus.

NOTÆ.

- ^a **A**ltrissiodorensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 2. & in cap. tibi

de testam. ubi extat alia pars hujus textus, ubi de hac concessione facta Episcopo Altrissiodorensi egi in cap. cum tibi, de testamentis.

CAPVT XIX.

Idem Capitulo, & Præposito ^a Placentino.

Cum clerici Placentini juramentum præstant sub hac forma verborum: Ego talis ab hac hora in antea fidelis ^b ero, & obediens sanctæ Placentinæ Ecclesiæ, & Domino meo Placentino Episcopo: per vestras nos literas consulere voluistis, utrum intelligi debeat Clerus totius dioc. an Capitulum tantum Ecclesiæ Cathedralis? Nos igitur disc. v. respondemus quod per Ecclesiæ Placen. vocabulum in forma juramenti præscripti non debet intelligi totius diocesis Clerus: & si Capitulum intelligatur Ecclesiæ Cathedralis; is tamen, qui præstat hujusmodi juramentum, Episcopo tanquam capiti principaliter obligatur.

NOTÆ.

- I. ^a **P**lacentino.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. 3. De Ecclesia Placentina nonnulla adduxi in c. final. de juram. calum.

^b Fidelis ero.] Juxta formam fidelitatis, & obedientiæ, quam debent clerici proprio Episcopo præstare, de qua egi in cap. ego, de jurejur. cap. ex diligenti, de simonia.

CAPVT XX.

Idem Priori sancti^a Fridiani Lucan.

Quærenti quid per censuram eccl. intelligi debeat, cum huiusmodi clausulam in nostris literis apponimus: respondemus, quod per eam non solummodo ^binterdicti, sed ^csuspensionis, & ^dexcommunicationis sententia valeat intelligi, ut iudex discretus, rerum, & personarum circumstantiis indagatis ferat, quam magis viderit expedire.

NOTÆ.

1. ^a *Sancti Fridiani.*] Ita etiam legitur in tertia collectione. *sub hoc tit. cap. 4. & in c. quærenti. de offic. deleg. ubi extat alia pars hujus Decretalis, ut iam notavi.*
2. ^b *Interdicti.*] De qua censura egi in cap. cum inter. de consuet. cap. 2. de his quæ fiunt à Prælat. cap. quod in te. de penit. & remiss.
- ^c *Suspensionis.*] De qua censura egi in cap. 1. & 3. de cleric. excom.
- ^d *Excommunicationis.*] Tam minoris, quam majoris, de quibus egi in c. significavit. de sent. excom.

COMMENTARIUM.

3. **P**ro hujus textus expositione sciendum est, irregularitatem generaliter censuram non esse, quia irregularitas in genere suo non est vinculum, sententia, nec pœna, sed inhabilitas, & canonicum impedimentum contractum aliquando sine culpa: *1. si quis viduam, 50. dist. & ex præsentis textu deducitur, probaturque ex eo, quia censura in productione est sententia, & medicina respiciens ut suum ultimum finem obtinatis sanitatem, & reditum in semitam rectam, c. andi. 1. q. 3. c. 1. de sent. excom. lib. 6.* Irregularitas verò non dicitur medicina, cum non præsupponat opus peccaminosum, immò aliquando merito iniquum, quo gratia acquiritur; in esse tamen deducta censura separat à participatione sacramentorum, & communione fidelium, *c. Engeltrudam 3. q. 4. cap. 1. de re judic.* Hæc irregularitas tantum privat ab Ordinum susceptione, exercitioque. Differt in remotione, quia censura tollitur absolutione, irregularitas verò dispensatione. *Trid. sess. 14. cap. 7. & sess. 24. de reform. cap. 4.* Nec contrarium probat textus in c. nuper. de bigamis, ubi cum agatur de irregularitate quæ provenit ex bigamia, dicitur clericum de facto contrahentem matrimonium eadem censurâ credi irretitum; nam verbum illud *censura*, accipitur pro rigore sacrorum canonum, ut docent Butrius, & Anania in præsentis, Cirea eam verò irregularitatem, quæ ex delicto nascitur, dubium est apud Doctores. Negant omnes repetentes in præsentis, Suarez de censur. disp. 1. sect. 3. Sylvest. verbo *Censura*, & alij apud Dianam p. 1. tract. 11. resol. 27. Moventur primò ex præsentis textu, ubi cum omnes censuræ species referantur, nulla irregularitatis mentio sit. Deinde quia irregularitas tantum privat ordinis susceptione, censura verò etiam receptione aliorum sacramentorum. Rursus quia irregularitas non parit aliam, si irregularis celebret; sed qui aliâ censurâ ligatus celebret, irregularis manet, *cap. 1. c. si celebrat, de cleric. excom.* Ergo quia irregularitas censura non est. Tandem, nam censura tollitur absolutione, irregularitas verò dispensatione: ergo quia censura non est. Contrarium verò, scilicet irregularitatem ex delicto provenientem esse censuram, tenuerunt

Thomistæ, Bañes, & Aragon. ad 2. 2. D. Thoma 9. q. 4. art. 8. Sorus in 4. dist. 22. q. 3. alii quos laudat, & sequitur Gibalinus de irregul. c. 1. q. 2. Cum enim similis irregularitas sit pœna ob delictum inflicta, & privet uti bonorum spiritualium, quid mirum si appelletur censura. Quâ sententiâ retentâ, etsi contrariam non improbabilem dicat Diana *suprà tract. 11. resol. 27.* non obstant fundamenta prioris sententiæ; nam ea omnia tantum probant irregularitatem esse diversam speciem censuræ, non tamen non esse censuram. Nec etiam obstat præsens textus, in eo enim tantum asseritur, in rescriptis Pontificiis irregularitatem non comprehendi nomine censuræ, quia licet censuræ species sit, tamen nunquam censetur appellatione censuræ venire, nisi specialiter id exprimat ob gravitatem pœnæ, & quia ita ex stylo Curie observatum fuit. Democps, nam in præsentis textu, iunctâ aliâ ejus parte, quæ extat in cap. quærenti. de offic. delegat. agitur de censuris imponendis ab homine, hoc est à iudice delegato. Sed irregularitas ab homine imponi non potest. Igitur Innocentius accipiendus est ita, ut appellatione censuræ, quæ ab homine imponi potest, irregularitas non comprehendatur, quia illa à iudice delegato imponi non valet. Nec obstat quod irregularitas non privat ab his, quæ aliis censuris irretitis denegantur; illud enim tantum probat, non dari eisdem effectus in irregularitate, ac in aliis censuris; non tamen inde inferitur, irregularitatem censuram non esse; nam suspensio licet non privet nisi tantum rebus spiritualibus, ut excommunicatio: est tamen censura, ut in præsentis textu docetur. Nec obstat quod irregularitas non producat aliam irregularitatem, ut parit censura; nam id non provenit ex eo, quod irregularitas censura non sit, sed quia ligatus aliâ censurâ privatus est tantum rebus spiritualibus, & adhuc capax manet recipiendi sacros ordines: qui verò irregularis est, iam non habet amplius, quod amittat, quamvis ex aliis causis possit etiam fieri irregularis, quia hæc tota res moralis est. Unde ex variis causis proficisci potest hoc impedimentum, ut probat Gibalinus de irregul. dicto cap. 1. q. 2. Nec quod de solutione irregularitatis DD. contrariæ sententiæ adducebant, aliquid facere potest; fatemur enim irregularitatem dispensatione superioris tolli; non tamen concessâ tempore alicujus jubilei facultate absolventi à quibuscunque censuris, confessarius potest absolvere ab irregularitate, quia id expressè inhibuitur est à Gregorio XIV. anno 1590. & Clemente VIII. anno 1592. & anno 1597. ut referunt, & probant Trullench. in Bullam, lib. 1. c. 2. §. 7. dub. 17. P. Mendo eod. tract. disp. 25. c. 19. Cujus differentiarum ratio ex eo provenit quia cum irregularitas sit major pœna, & ita difficilior in solutione, *cap. cum illorum, junctâ glossâ verbo Minoris, de sent. excom.* ideo concessâ generali facultate absolventi à censuris, non censetur concessâ potestas

testas dispensandi in irregularitate, ut docet Bor-
galius *de irregul. cap. 6. n. 19.* Regulares verò Præla-
ti possunt virtute suorum privilegiorum in iis irre-
gularitatibus, quæ ex delicto occulto proveniunt,
præcipuè in illis, quæ ob violationem censuræ

contrahuntur, dispensare, ut probant Fragoso *de
regim. Christ. Reip. tom. 2. lib. 1. disput. 24. §. 7.* Bal-
seus *in floribus Theolog. verbo casus reservatus, §. 7
num. 29.* Bordonus *in consil. regul. tom. 1. resol. 6. n. 10.*
Diana *part. 9. tract. 8. resol. 50.*

CAPUT XXI.

Idem^a *Casaraugustano Episcopo.*

Quid per novalis vocabulum intelligi debeat, à nobis tua fraternitas requisivit. Li-
cèt autem quidam dixerint, quod novale sit terra præcisa, quæ anno cessat, aliis
asserentibus, quod ex silva, quæ arboribus extirpatis ad cultum redigitur, fieri no-
vale dicatur, quarum utraque interpretatio ex civilibus legibus colligitur; Nos tamen in-
quisitioni tuæ taliter respondemus, quod eam credimus prædecessorum nostrorum in-
tentionem fuisse, cum piis locis indulgentiam de novalibus concesserunt, ut novale
intellexerint agrum de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quod
aliquando cultus fuisset: sed nec de quolibet tali novali credimus eis indulgentiam fore
concessam, nisi de illo dumtaxat, cujus decimas religiosus potest conventus absque
gravi detrimento parochialis Ecclesiæ detinere, cum talis sit sæpe locus incultus, de
quo parochialis Ecclesiæ magnos percipit decimarum ratione proventus.

NOTÆ.

^a *Casaraugustano.*] Ita etiam legitur in

tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* de Casar-
augustana Metropoli egi *in cap. dudum 31.* de
privil.

CAPUT XXII.

Idem *Abbati de^a Alcobatia, & F. & P. monachis Alcobatie.*

Venerabili fratre nostro N. Colimbriensi Episcopo didicimus conquereute, quod
cum fratres sanctæ^b Crucis monasterium de Arganil sub protectione sua nuper
receperint, quod suis prædecessoribus Episcopalia jura consueverat ab antiquis
temporibus exhibere, nunc quodam de Canonicis tuis sine suo consensu ibi facto Prio-
re, occasione cujusdam privilegii à bona memoriæ Clem. Papa prædecessore nostro ve-
ritate tacitâ impetrati, eidem Episcopo debitam obedientiam denegat exhibere: inde
sumptâ occasione, quod per matricem Ecclesiam non^c Cathedralem intelligunt, sed
Romanam. Quia verò non est nostræ intentionis, ut jura fratrum nostrorum tempo-
ribus nostris indebitè minuantur, causam vobis duximus committendam, per scripta
Apostolica mandantes, quatenus si vobis aliud non occurrerit, propter quod dictus
Prior non debeat diocæsano Episcopo respondere, eum ad præstandam dicto Episco-
po debitam reverentiam, sicut prædecessoribus Episcopis præstiterunt, appellatione
remota per censuram ecclesiasticam compellatis. Nos enim per matricem Ecclesiam
Cathedralem intelligere volumus, non Romanam, non obstante privilegio in præ-
judicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quod si non omnes, &c.
Duo vestrum, &c. Datum Romæ, &c. III. Kal. Junii.

NOTÆ.

- I. ^a *Alcobatia.*] Ita etiam legitur in tertia col-
lectione. *sub hoc tit. cap. 6.* & in Registro
epistolarum Innocentij edito à Sirleto, *fol. 101.*
De hoc monasterio Alcobatie egi *in cap. de rescr.*
b *Fratres sanctæ Crucis.*] De quibus Canoni-
cis regularibus, & controversiis cum Colimbriensi
Episcopo egi *in cap. 14. de privil.*
2. ^c *Cathedralem.*] Ecclesia Cathedralis propriè
appellatur matrix, quia mater, magistraque est om-
nium Ecclesiarum diocæsif; unde lato modo Ec-
clesiæ, quæ sub se alias habent, dicuntur matricæ,
ut probant Azor *p. 2. in sit. lib. 3. cap. 12. 9. 13. & lib. 9.
cap. 3.* Barb. *in c. ad audientiam. num. 7. de decimis:*
quo modo Ecclesia matrix accipitur *in c. ad audien-*

*tiam. el. 1. de Eccl. edific. c. ex transmissa, de præ-
script. c. præterea. el. 2. de transact. Clement. 1. de sen-
tent. excom. Propriè tamen, & strictè Ecclesia ma-
trix tantum Cathedralis dicitur, nisi qualitas materiæ
aliud expostulet, ut in præfenti docetur, & in cap.
ex transmissa, de præscript. Illustrant Rebuffus *de
decimis quest. 6. num. 6.* Moneta *eod. tract. cap. 7. n. 3.*
Sayrus *in thesauro, lib. 3. cap. 33.* Tondutus *part. 1. re-
sol. canonic. cap. 46. nu. 10.* Barbosa *in Clement. 1. de
sent. excom. Frances de Eccl. Cathed. cap. 15. n. 171.*
Et Romana Ecclesia, quæ omnium est mater, pri-
ma matrix appellatur, Cathedrales verò respectu
illius secundæ matricæ, respectu verò totius Epif-
copatus, primæ appellantur. Glossa. *in l. decerni-
mus 15. verbo Matricæ, Cod. de sacros. Eccl. Pro-
sequitur Frances ubi proximo.**

CAPUT

CAPVT XXIII.

Idem Abbati Sanctæ^a Genovesæ, Decano, & Cancellario Parisiensi.

EX parte in Christo dilectæ filia nobilis mulieris Comitissæ^b Blefenen. nuntii ad nostram præsentiam destinati sibi postulaverunt audientiam exhiberi, ut audiremus injurias, quas ei, & suis inferret Ecclesia Carnotensis, quibus & dilecto f. S. Becco Canonico Carnotensi, qui pro ipsa stabat Ecclesia, dil. fil. R. tituli S. Anastasia Presbyt. Cardin. dedimus auditorem, in cujus præsentia proposuerunt nuntii Comitissæ, quod cum ipsius Comitissæ^c Præpositus de Firmitate de Villanova quendam latronem ceperit, qui furtum commiserat, & justitia fuerit inde facta, latro fuit à Comitissæ^d Ballivis per Capitulum Carnotense post factam justitiam requisitus, quia Capitulum in terra sua captum fuisse dicebat, afferentibus Ballivis e contra, ipsum fuisse captum in terra, in qua jus capiendi latrones, & alios malefactores habet eadem Comitissa, quoniam vir ejusdem, antequam signaculum crucis assumeret, erat in possessione juris illius, ut in illo loco, in quo captus ab ipso Capitulo dicebatur, hujusmodi jurisdictionem haberet: quod erant probare parati. Verum cum super hoc parendi juri sufficientem cautionem offerrent, canonici Carnotenses nihilominus terram ejusdem Comitissæ fecerunt per Divien. Archid. interdicto supponi, qui postmodum requisiti, ut ab eis sufficienti cautione recepta juri parendi, terram absolverent, eam recipere noluerunt, nisi prius solveretur emenda. Consequenter ven. f. n. Carnotensis Episcopus super hoc requisitus, & per literas Metropolitanæ sui monitus diligenter, ut terram Comitissæ taliter absolveret, sicut de jure poterat, & debebat, idem à Capitulo jamdicto prohibitus hoc facere recusavit: dicebat enim Capitulum, hoc in Carnotensis Ecclesiæ^e privilegio contineri, quod nemini liceat excommunicatis, vel nominatim interdictis pro Canonicis Carnotensibus absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere. Videntes autem nuntii Comitissæ, quod datâ cautione absolvi non poterant, ut debebant, tam super hoc, quam aliis causis inter Comitissam, & Capitulum agitis, Metropolitanus audientiam appellavit, tam ipsam Comitissam, quam terram, & Ballivos ejus sub ejus protectione ponentes. *Et infra*: Metropolitanus autem cum partes essent in die præfixa præsentis, privilegio diligenter inspecto, testes hinc inde recepit, quibus ab officiali examinatis ipsius, & die partibus iterum assignato, procurator Comitissæ cum instantia postulabat publicari attestaciones receptas, ex abundantia de juri parendo sufficientem offerens cautionem, ut relaxaretur sententia interdicti: sed procurator Capituli è contrario allegabat, quod jamdicti privilegii ratione ab ipso terra non poterat, nec debebat absolvi, nisi prius Capitulo facta fuisset emenda, interpretando verbum illud, quod in privilegio continetur, videlicet, satisfactione congrua, pro emenda. Litigato igitur diutius super hujusmodi clausula, interloquutus est Metropolitanus jamdictus, se velle hujusmodi expositionem Ap. examini reservare, & super hoc diem partibus assignavit. *Et infra*: Ad intelligentiam autem clausulæ privilegii memorati credimus distinguendum, utrum in aliquem interdicti, excommunicationisque sententia sit prolata ex contumacia tantum; quia scilicet citatus stare noluit juri; vel etiam pro offensa, quia videlicet jussus noluit maleficium emendare. In primo casu credimus congruè satisfieri, ut hujusmodi sententia relaxetur, si sufficiens standi juri cautio tribuatur. In secundo verò casu, si offensa est manifesta, non credimus congruè satisfieri, ut hujusmodi relaxetur sententia, nisi sufficiens prius præstetur emenda. Si verò dubia est offensa, sufficere credimus ad relaxandam eandem, si parendi mandato competens satisfactio præbeatur.

NOTÆ.

^a Sanctæ Genovesæ.] Ita etiam legitur in tertia collectione sub hoc tit. cap. 7. De hoc monasterio adduxi nonnulla in cap. P. & G. de offic. deleg.

^b Præpositus.] Iudex videlicet, seu gubernator; nam etiam Magistratus sæculares Præpositi appellari solent, ut probavi in cap. 1. de arate, & qualis.

^c Blefenensis.] Rectius in hac sexta collectio-

ne legitur *Blefenensis*: Carnotensis enim Provincia olim suos habuit Comites; nam Theobaldus Ledgardis Viromandensis maritus eorum stirpem propagavit, ex cujus posteris defuncto sine liberis Theobaldo juniore Comite Blefensi & Carnotensi, Mathildis Ambasiæ Domina in Comitatu successit, de qua in præsentis agitur; & eâ sine prole obeunte, Comitatus devenit ad Joannem Castilionem Comitem Blefensem, ipsius hæredem, ut refertur in *Gallia Christ. tom. 2. fol. 480.*

^d Ballivis

d *Bailivis.*] Bailivus apud Gallos idem significat ac officialis, & plerumque accipitur pro Pratore, seu iudice; quare & officium ipsum bailiva solet appellari. Probant, & illustrent Lindembrog in *Glossario legum antiq. verbo Bailivus*, Ioannes Vossius de *vitiis serm. lib. 2. c. 3.* & notavi in *cap. 8. de confirm. utili.*

e *Privilegio.*] Carnotense enim Capitulum eximii est decoratum privilegiis à Sede Apostolica, inter quæ illud refertur, quod nemini licet anathemate damnatum absolvere, nisi prius damni æstimatione pensata, ac damno satisfacto ipsi Capitulo, ut refert Renatus Chopin. *lib. 1. sac. pol. tit. 2. n. 4.* Cujus privilegii mentio fit in præsentis textu.

CAPVT XXIV.

Idem *Comitissa* a *Blesensi.*

CUM olim pro Canonicis Carnotensibus quoddam Capitulum contra te fuerat allegatum, quod dicebat in Ecclesia suæ privilegiis contineri, ut videlicet nemini liceat excommunicatis, vel nominatim interdictis pro Canonicis Carnotensibus, absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere. *Et infra:* Quia verò dum ansam solvimus, nondum dicimur ligavisse, propter hoc, quod eisdem Canonicis, velut asseris, proponentibus, illam esse offensam manifestam, non quæ iudici, nec quæ alii, sed quæ sibi tantummodo manifesta videtur, major ex illa dictione, videlicet Manifesta, scrupulus quæstionis emerfit. Tuis igitur humilibus precibus inclinati, offensam nos rescribimus intelligere manifestam, quæ vel per confessionem vel probationem legitimam nota fuerit, aut evidentiâ rei, quæ nullâ possit tergiversatione celari.

NOTÆ.

- I. a *Comitissa Blesensi*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 8.* Textus hic spectat ad eam textus præcedentis. b *Tergiversatione.*] Ut probavi in *cap. evidentiâ, de accusat.* ubi exposui quando quid dicatur manifestum, vel notorium.

CAPUT XXV.

Idem *Episcopo* & *Cantori* a *Atrebatensi.*

Abbate Sancti b Silvani Altiacen, olim viam universæ carnis ingressio, cum ejusdem loci monachi elegissent quendam de ipsius gremio in Abbatem, & ejusdem confirmationem electionis a bon. mem. Morinen. Episcopo nequissent aliquatenus obtinere, per procuratorem suum confirmationem ipsius à Sede Apostolica petierunt. Cæterum procurator monasterii S. c Bertini proposuit ex adverso, quod cum secundum approbatam consuetudinem, & privilegia Rom. Pont. Abbates Altiacem debeant de monasterio S. Bertini semper assumi, hujusmodi electio erat non immeritò reprobanda, utpote contra consuetudinem diuturnam, & privilegia Sed. Ap. attentata; & Altiacen. monachi debeant de jure compelli, ut de monasterio beati Bertini personam idoneam sibi eligant in Abbatem. *Et infra:* Nos igitur depositionibus testium coram delegatis à nobis iudicibus productorum diligenter inspectis, invenimus sufficienter esse probatum, quod xl. annis, & infra, monachi Altiacen. Abbatem sibi de S. Bertini monasterio elegerunt, ita quod infra præscripti temporis spatium de præfato Cœnobio VII. fuerunt in Altiacenses Abbates assumpti. *Et infra:* Et cum quadam vice Garmum Altiacen. monachum elegissent, ejus electio robur habere non potuit donec apud monasterium S. Bertini professione facta, post aliquantulum temporis, quando scilicet ejusdem loci Abbati, & conventui placuit, in Altiacen. extitit Abbatem assumptus. Ex privilegiis quoque Rom. Pont. monasterio S. Bertini concessis argui poterit evidenter, Altiacen. Abbatem fore de S. Bertini collegio eligendum. Nimirum privilegio fel. rec. Paschalis Pap. præd. n. hujusmodi capitulum apparet insertum: Subrogationem Abbatis penes monasterium S. Silvani apud Altiacen. juxta præteriti temporis morem, in vestra semper concedimus dispositione persistere. Cujus verbis bon. mem. Innocentius Pap. præd. n. prorsus inhæsit. In privilegio quoque d Calixi II. Papæ hujusmodi capitulum invenitur: Porrò juxta Domini præd. n. sanctæ mem. Paschalis Pap. decretum, Abbatis subrogationem penes Altiacen. non aliunde, quàm de vestro monasterio fieri Ap. auctoritate decernimus. Ad hæc autem pars adversa respondit, quod si evidenter per depositiones testium probaretur, quod infra prædicti temporis spatium

spatium de monasterio S. Bertini semper fuerit Altiacen. assumptus; ex hoc tamen nullum Altiacen. monachis præjudicium parabatur, cum hoc non necessitate aliqua factum fuerit, sed ex libera voluntate. *Et infra:* Sed nec dici poterat, quod ex eo consuetudo aliqua, quasi contradicto iudicio fuerit introducta, si de prædicto monasterio in memorati Guarini electione processum, cum illud pro bono pacis factum extra iudicium dignoscatur. *Et infra:* Præterea cum Pasch. Pap. subrogationem Abbatis S. Silvani monasterio S. Bertini juxta morem præteriti temporis duxerit concedendam, nec de præteriti temporis more, seu consuetudine fiat fides, per ejus privilegium, & similia, super hoc nullum Altiacen. monasterio poterat præjudicium generari. Contra quod fuit ex adverso responsum, quod hæc determinatio secundum præteriti temporis morem, & causalis, & conditionalis potest intelligi; & tam ad personale, quam impersonale verbum referri. Si enim impersonale verbum impersonale verbum determinet, conditionalis intelligitur, & talis est sensus: Concedimus subrogationem Abbatis sancti Silvani apud Altiac. in vestra semper dispositione consistere, secundum præteriti temporis morem, idest si mos præteriti temporis talis fuit: si vero verbum determinet personale, causaliter debet intelligi, ut sit sensus: Concedimus secundum præteriti temporis morem, idest quia mos præteriti temporis sic obtinuit, subrogationem videlicet Abbatis sancti Silvani apud Altiac. in vestra semper dispositione consistere. Hic autem sensus rector esse videtur, quia cum privilegium sit lex privata, & lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa, & manifesta; nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret; profecto sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potius, quam perire, maximè cum supradictus Calixtus Papa qui eodem Paschali è vicino successit, verbis æquioribus usus, determinationem illam profectus amoverit, ut ambiguitas tolleretur: & quod dicebatur in concessione Paschalis, videlicet ut subrogatio Abbatis Silvani apud Altiacen. in dispositione Abbatis, & fratrum sancti Bertini semper existeret; ipse mutaverit, decernens, subrogationem illius Abbatis non aliunde, quam de sancti Bertini monasterio faciendam, ut electio ad jus commune posset ex una quidem parte reduci: eadem quoque verba sic esse interpretanda subsequens consuetudo declarat, quæ perhibetur esse legum interpret. His igitur, & aliis ad eandem causam spectantibus diligenter auditis, & perspicaciter intellectis, de consilio fr. n. monasterio sancti Bertini adjudicavimus hujusmodi dignitatem, ut quotiescunque in Altiacensi monasterio Abbatis electio immineret facienda, Altiacen. monachi de cænobio sancti Bertini personam idoneam sibi eligant in Abbatem, ita videlicet ut tam diu monasterium ipsum hac honoris debeat prærogativa gaudere, donec ibidem vigerit observantia regularis, ut idoneæ personæ inveniantur in illo, quæ possint in Abbates assumi.

NOTÆ.

- a *Trebatensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. 10.* De Trebatensi diocesi iam nonnulla adduxi in *cap. 13. de arbitris.*
- I. b *S. Silvani.*] Monasterium hoc S. Silvani Altiacense est in Germania, in diocesi Morinensi, cujus initium, & erectionem refert Iperius in *chronico suo Bertinensi*, ibi: *Lambertus Abbas noster (Bertinensis videlicet) Ordinis D. Benedicti, duobus primariis Ecclesiis hujus diocesis, scilicet Morinensi, & Sithiensi reformatis ad vicinas Ecclesias reformandas mentem intendit, opportunitatem nanciscens nunc ex Ecclesiarum vacationibus, nunc ex monachorum dissentionibus. Anno itaque 1101. Ecclesia Altiacensis constructa anno 1072. (cui de jure, consuetudine, ac privilegio consuevit, & debet ex isto monasterio Abbas provideri.) Lamberto Abbate defuncto, Odonem Cluniacensem monachum, virum exemplarem ad ordinem hunc reformandum pridem missum Abbatem prefecit.* Unde constat monasterium hoc Ordinis D. Benedicti, olim diocesis Morinensis, nunc Audomarensis fuisse, & simul ejus Abbatem eligendum esse ex monasterio sancti Bertini, ut refertur in Gallia *Christ. tom. 4. litera A. fol. 27.* & refert Mireus *de cænobiis Belgicis c. 40.*
2. c *Sancti Bertini.*] Etiam monasterium hoc

Ordinis est D. Benedicti, in urbe Audomacopolitana Arthesiæ, olim Morinensis diocesis, antiquitus Siciense monasterium dictum, cujus originem, & progressum refertur Aubertus Mireus *de cænobiis cap. 4.* authores Gallia *Christ. tom. 4. littera B. fol. 171.*

d *Callisti II. Alexandri III.*] Nam cum Abbate monasterii S. Bertini fundatum, & reformatum fuisset monasterium sancti Silvani, merito tam consuetudine, quam privilegiis Romanæ Ecclesiæ introductum fuit, ut ex monasterio sancti Bertini Abbas sancti Silvani eligeretur, cum in utroque monasterio eadem Regula D. Benedicti observaretur; quod in aliis monasteriis frequentius observatur, ut jam notavi in *cap.*

e *Lex privata.*] Probavi in *cap. 1. de Privil.*

f *Specialiter indulgeret.*] Consonant textus in *cap. in his; de privil. cap. si Papa, eod. tit. in 6.* aliàs esset inutile, & supervacaneum, & quasi otiosus actus: quod de Principis beneficio præsumendum non est. Unde fit, debere privilegii effectum esse aliquo modo diversum ab effectu juris communis, ut explicat Suarez *de legibus lib. 8. c. 22.*

g *Donec ibidem.*] Unde cessante disciplina regulari in monasterio Berthinensi, cessaret & privilegium hoc, juxta tradita à Suarez *de legibus lib. 8. cap. 33. per totum.*

CAPVT XXVI.

Idem Comit^a Tolosano.

Super quibusdam mandatorum articulis tibi à bon. mem. Milone notario nostro tunc temporis Ap. S. L. factorum apud quosdam dubitatione suborta, tua devotio explicari postulavit à nobis, qui sint dicendi hæretici manifesti? Super quo tibi duximus respondendum, illos in hoc casu manifestos hæreticos intelligendos, qui contra fidem catholicam publicè prædicant, aut profitentur, seu defendunt errorem; vel qui coram Prælatis suis ^b convicti sunt, aut confessi, vel ab eis sententialiter condemnati super hæretica pravitate: quorum bona propria ^c confiscantur, & ipsi juxta legitimas sanctiones ^d puniuntur. Præterea cum pedagia, guidagia, & salinaria tibi Legatus interdixerit memoratus, auctoritate præsentium duximus declarandum, illa esse ^e pedagia, ^f salinaria, & guidagia interdicta, quæ non apparent ^g Imperatorum, vel Regum, vel Lateranen. Concilij largitione concessa, vel ex antiqua consuetudine, à tempore cujus non extat memoria, introducta. *Et infra:* Cum autem à Legato receptis ordinarii, vel delegati arbitrium justitiam exhiberes: hoc taliter intelligendum esse censemus, ut in omni causa, quæ ratione ^h personarum, vel rerum, quæ ad ecclesiasticum forum pertinent, ac super universis capitulis, quæ pro pace servanda sunt per dictum Legatum statuta, vel auctoritate Apostolica statuenda, ^k viduis, pupillis, orphanis, & personis miserabilibus tenearis in judicio ecclesiastico respondere.

NOTÆ.

1. ^a **T**olosano.] Ita etiam legitur in cap. 1. hoc tit. in 4. collect. Raymundo videlicet; Tolosæ enim Comitum dignitas apud Historicos illius Regni celebratur usque ad annum 1249. quo defunctus est Raymundus ultimus Comes, pater Ioannæ unicæ filiæ ex Sancta Aragonia, heredi Altonsi Comitum Pictaviensis, sancti Ludovici fratris nuptæ, quibus sine prole defunctis, Tolosæ comitatus Gallicæ coronæ adcrevit, ut refertur in Gallia Christiana tom. 1. fol. 671. De hoc Raymundo in heresim lapsus legitur in c. final de hereticis.
- ^b Convicti, aut confessi.] Ut probavi in cap. de hereticis
- ^c Confiscantur.] Juxta tradita in cap. vergentis, de hereticis.
- ^d Puniuntur.] Ut probavi in c. ad abolendam, de hereticis.
- ^e Pedagia.] Pedagia, quæ tributa dicantur, exposui in cap. innovamus, de censibus, ubi hujus textus casum retuli.
- ^f Salinaria.] Ut hoc vectigalis genus cognoscamus, sciendum est, semotis Regnorum institutis, salinas ex jure communi posse ad privatos jure domini spectare. Imago puto 5. §. 1. ff. de rebus eorum, ubi: Sed & si salinas habeat pupillus, idem erit dicendum. Loquebatur de oratione Severi, quæ prohibuit alienationem prædij rustici, vel suburbanij, quod proprium est pupilli. Sic in l. generali 32 §. uxori 2 de usufruct. legat. ex facto proponitur, maritum legasse uxori suæ usufructum domorum, & omnium rerum, quæ in his erant, fundorum, & salinarum, ergo in testatoris jure, & domino erant salinæ, non minus quam fundi, & ædes. Nec minus expressus est textus in l. forma 4. §. salina 7. ff. de censibus, in illis verbis: Salina si quæ sunt in prædiis, & ipsa in censum deferenda sunt. Ergo salinæ in prædiis privatis existentes privati juris sunt. Facit ea ratio, nam

commenda naturæ, & locus; ubi sal conficitur, impedimento non sunt, quo minus in dominio privatorum consistat, si in possessione propria creata. Deinde cum ex aqua plerumque efficiatur, quæ communis est, & per jus naturale occupanti cedit, consequens est, ut in loco nullius inventum cedat illi, qui prius occupavit: natum verò, coctum, aut confectum in loco privato, privati sit; in loco publico, Principis maneat.

E converso in l. inter publica 17. §. 1. ff. de verb. signific. docemur ad publicum pertinere vectigal salis: & in l. sed & is 13. de publicanis, publicanos appellari, qui conductum habent hoc vectigal salis, vel salinas pacto vectigali: & in l. liber homo 59. §. 1. ff. de hered. insti. proponitur ex facto Titius hæres institutus ex qua parte focus erat in vectigali salinarum: videturque institutus ex illa ipsa parte, quam habebat in societate vectigalis, veluti 46. & c. Igitur negati non potest, etiam jure Digestorum, quando minus subactum erat jus gentium, salinas publicas fuisse, & publicos redditus inde collectos. Cujacius lib. 3. obs. cap. 31. notavit salinas, & publici, & privati juris fuisse: multi Authores apud Alexandrum in l. divorcio 8. num. 4. ff. solut. matrim. Barbosa ibi: ex n. 27. vers. iuxta hæc, & Georgium Cabedum decis. Lusit. 53. tom. 2. & decis. 81. num. 2. Graphium de jure publico cap. 36. & cum pluribus Sorlorz. polit. Ind. lib. 6. cap. 2. pag. 945. distinguunt salinas natas in privato loco, à natis in publico, ut illæ privati, hæ publici juris sint: quæ distinctio rationem habet, & ex textibus Digestorum explicandis concinna est, cum perfecte non sciamus, an aliquid specialiter receptum, vel introductum fuisset circa publicandas salinas, vel vectigal imponendum privatis: sed quatenus inde perpetuum ius deducunt ad omnia tempora, & regna, commentitium est: quare decidenda res erit speciali jure, ubi illud vigerit, vel ubi consuetudine contrarium receptum sit.

Sed

4. Sed ut ab historia salis, & salinarum ius apud Romanos deducamus, in primis constat, Ancum Marcium Regem sex millia modia salis populo in congiarium dedisse, & primum salinas instituisse, ut refert Plinius *lib. 31. natural. histor. cap. 7.* Nihil aliud narrat Plinius, sed ex Dionysio *lib. 2. antiquit. cap. 88. ex partit. Sylurgij*, dicere possumus salinas has fuisse, quas ad ostia fluminis Veientes habuere, quasque victis ademit Romulus Pater Gentis unâ cum agro Tiberij contiguo, qui vocabatur *Septempagui*; cum quibus iterum rebellantibus Ancus conflavit, & easdem salinas, & oppida cepit, retinuitque, ut idem est auctor *lib. 3. cap. 134. in fine.* Tributum verò salis fuisse sub Regibus & sub nascente libertate diserte probatur ex Livio *lib. 2. ab V. C. cap. 9. ex partitione Godelebei*, ubi movente pro Tarchiniis bello Larte Porfena, Rege Clusino, Romanque infesto exercitu veniente, ex quo terror magnus PP. invasit, ne plebs metu percussa Reges reciperet, multa blandimenta eis Senatus dedit: inter alia placuit portoriis, & tributo plebem liberari, ut soli divites conferrent, qui oneri ferendo essent. Salis quoque vendendi arbitrium quia impenso pretio venibat, in publicum omni sumptu ademptum privatis. Sententia ex loco non facile constat, quia malè habet vitio librorum. Hadrianus Turnebus *lib. 4. advers. cap. 2. tentat*, & ita legit: *Omni sumptu adempto concessum privatis.* Vel ita interpungit: *Venibat in publicum omni sumptu ademptum privatis.* Nanius, quem sequi videntur Illustratores Livij apud Godelebæum, addit, *sine omni sumptu.* Ego sine tantorum Criticorum opinionum præiudicio sic leviter muto: *in publicum omne sumptum*, ut sit sensus, quia propolæ salis magno vendebant, arbitrium vendendi salis ademptum omnino fuit privatis, & sumptum in publicum, ut Respublica quæ portoria, & vectigalia non pendebat, liberalius viliori pretio, aut gratis plerumque salem plebi daret. Non ergo possumus negare vectigal, aut portorium antè solum fuisse à privatis ex venditione salis. Notè ex hoc loco, Publio Valerio iterum, & T. Lucretio Coss. monopolium salis primum Romæ institutum fuisse, non compendij causâ, sed in plebis utilitatem. Postea M. Cornel. & P. Sempronio Coss. exhausto erario bello Carthaginensi, quo Annibal Italiam pressit & ferè oppressit, alter ex Censoribus Marcus Livius, cui ob hoc facinus Salinatoris inditum cognomen fuit, vectigal etiam novum ex salinaria annonâ statuit: sextante sal, & Romæ, & per totam Italiam erat: Romæ pretio eodem, idest sextante, locavit, pluris locavit in foris, & conciliabulis, & alibi alio pretio mancipibus locavit. Quo vectigali valde onerata fuerunt tribus, præsertim rusticæ. Hæc ex eodem Livio *lib. 29. ad finem, sive cap. 37.* Noto per Censores locatas fuisse salinas mancipibus, sive conductoribus publicis, ut præstituto pretio venderent. An monopolium duceret, an hæc salinæ fuissent natæ in locis publicis, pro certo non ausim affirmare. Paulus Æmilius profligato bello Macedonico, licet Macedoniâ nondum in formam provinciam redactâ, Dardanis commercium salis permisit, Macedonibus uti sale invecito vetuit. Idem *lib. 45. cap. 29.* Duravit forsitan, aut pelevit Livij Salinatoris commentum usque ad Iulij Cæsaris tempora, qui, ut plebem sibi devinciret,

D. D. Genz. in Decretal. Tom. V,

lege agraria de divisione agri Campani lata, omnia portoria, omnia tributa toti Italia remissit, præter vicefimam rerum venalium, ut colligitur ex Cicerone *lib. 2. ad Atticum, epist. 16. incipit: Cœnato mihi.* Inde apud eundem in oratione de lege Manilia, sive pro Pompejo ad Mithridaticum bellum Imperatore deligendo, cum sæpe queratur de interceptis à Rege vectigalibus, quæ Respublica opulentissima in Asia habebat, sic ait: *Quo tandem animo, Quirites, esse existimatis, aut eos qui vectigalia vobis pensitant, aut eos, qui exercent, atque exigunt; cum duo Reges cum maximis copiis prope adsint? cum una excursio equitatus per brevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cum publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portibus, atque custodiis magno periculo se habere arbitrentur.* Turnebus, & Hothomanus tentant hunc locum emendare, sed immeritò: vulgarem literam retinet Buleng. *de vectig. cap. 21. ex quo loco deducere licet, salinas Asia omnes omnino in provinciis vectigalibus existentes, ad ararium populi relatas, redactasque fuisse, & per publicanos administratas: quod forsitan & in aliis provinciis præter Italiam usu venit, sive in agris, sive in portibus; idest sive in locis privatis, sive in publicis, nullasque dominio privatorum fuisse permittas.* Per contrarium in Italia fortè post legem agrariam Iulij Cæsaris in solo privato natus privati iuris fuisse non malè probat allusio Ciceronis *lib. 7. famil. epist. penult.* omnis enim allusio, sive metaphora de vero venit. Ita ergo scribit: *Quibus in literis omnia mihi per jucunda fuerunt, præter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur.* Et hæc sunt, quæ possum dicere de iure salis à primordio Urbis usque ad Gentilium Imperatorum sæcula, & Iurifconsultorum, quorum responsa in Pandectis habemus, ut secundum hæc scire possimus, qualiter sal ad privatos pertinisset, vel publici iuris esset.

5. Successit Christianorum Principum tempus, sub quo Arcadius, & Honorius AA. relati in *l. si quis 11. Cod. de vectigal. & commissis*, monopolium salis instituerunt, & sibi reservarunt hoc regale, ut nemo privatus emendi, vendendive salis facultatem haberet, nisi mancipes salinarum, publicani, & publici salis conductores, pœnâ pretij, & salis amissionis impositâ, si contra fecerint, ut censuit Pancirola *lib. 3. var. cap. 31. tit. de vectig. salin. distinctius* quàm Buleng. *lib. de vectig. cap. 21.* & quàm Cujas. *lib. 3. observ. cap. 31.* Quod etiam in Italia valuisse diserte mihi probat synchronus Symmachus *lib. 10. epist. 58.* ubi queritur, quod publici salis mancipes ad paucos redacti, necessitatis publicæ molem ferre non possent; & consultatio est de Urbis, Italiæque mancipibus. Notemus inde, quàm alio animo monopolium hoc salis institutum fuisset, quàm primum sub nascente libertate: illud introductum fuit ad levandam delinendamque plebem; hoc ad fisci compendia augenda. Arcadij constitutionem comparat Alciatus in *l. inter 17. §. 1. de V. S.* Livij Salinatoris locationi in censura factæ; nescio tamen an tunc omne commercium salis privatis fuisset interdictum, an Salinatoris providentia tantum ad salinas publicas spectaverit; ut ut sit, & antiquissimum esse apud aliquas gentes hoc institutum, & receptum sequentibus sæculis, docent veteres relati à Barbosa in *d. l. divor-*

H h h

110,

tio 8. §. si vir, num. 29. ff. solut. matrim. Brecheus in dict. l. 17. §. 1. num. 35. In Galliaque feruari tradunt Pratejus de verb. juris, verbo Salina publica, Cujacius dict. lib. 3. obs. cap. 31, ex quo Bernardus Gomez tract. de sale, 2. part. cap. 37. Paulus Castr. lib. 1. consil. 63. in fine, Regnerus Sixtinus de regal. lib. 2. cap. 19. Cabedo 2. tom. decis. Lusit. 53. Solorzanus dict. lib. 6. cap. 3. pag. 945. & 2. tom. de jure Indiar. lib. 1. cap. unic. ex num. 19. & 34. Larrea cum multis alleg. fiscal. 77. num. 7. merito docent, salinas ad patrimonium Principum pertinere, sive ut ipsi soli monopolium salis exerceant, sive ut privati vendere salem, vel efficere permittant imposto tributo, quod secundum consuetudines receptas, vel municipales leges intelligendum est de facto potius, quam de jure naturæ; nempe quia in plerisque regionibus, & apud plerasque gentes ita observatur, non quia natura salis ea sit, ut præcisè cedat Principibus ubicunque efficiatur, vel inveniat. Nec contrarium probat textus in cap. 1. qua sint regalia in usibus feudorum, ubi ad regalia pertinere dicitur salinæ. Innocentius III. in præfenti, dam referribit, salinarias ad Reges, & supremos Principes pertinere, ubi Comites, Barones, & ceteri vassalli specialem concessionem non ostendunt: quia uterque textus intelligendus est suppositis consuetudinibus, quæ in partibus vigent; & legibus, per quas salinariæ redactæ sunt in patrimonium Principum, etiam quæ non nascuntur in fundis publicis, vel principalibus; nulla enim naturalis ratio est, quæ Principibus attribuat jure proprietatis ea, quæ in privato fundo nascuntur, vel quæ per naturam communia sunt cuicumque occupanti. Idem in nostro Regno observatur. Elegans primò extat constitutio Alphonfi Sapientis in l. 11. tit. 28. part. 3. ubi transcribens textum in dict. cap. 1. qua sunt regalia, sancit, vel docet Rex vectigalia ex salinis ad patrimonium regale spectare: ex quo existimo, textum Friderici eodem modo accipiendum esse, & de eodem vectigali salinis imposto, quia non valde tempore distat constitutio Alphonfi à Friderici constitutione: & Partitarum compositores Azonis discipuli non ignorarunt mores retrò antea acti sæculi. Ergo non constat ex his duobus locis, monopolium salis inductum fuisse in Imperio, vel in nostro Regno, nec interdicitum privatis fuisse salis commercium. Postea Alphonfus XI. in comitis Regni apud Complutum, quorum caput hodie extat in l. 8. tit. 1. lib. 6. Ordin. quæ est lex 2. tit. 13. lib. 6. Compil. salinas omnes in publicum patrimonium redegit; quæ lex adeo generaliter loquitur, ut intel-

ligi non possit de natis in locis publicis, sed de natis ubi vis, ut censet cum judicio Azevedus in l. 3. tit. 18. lib. 6. Recopil. ex num. 10. quidquid aliter distinxerint Gregorius, & Didacus Perez in præcitatibus textibus. Postmodum Philippus Prudens in lult. tit. 8. lib. 9. compil. privatis commercium salis interdixit, & monopolium instituit, ut ex textu ipso liquet. In Gallia non solum per Reges exactum fuit vectigal salis: Continuator Urpergensis anno 1343. ibi: Hoc tempore Philippus Galliarum Rex intelligens lucri bonum odorem ex quavis re esse tributum salis instituit, arguimus inventum, quo nemo liber a tributo esset: hinc enim Regibus quotannis pecunia ingens penditur. Verum & per Comites, in quorum ditionibus salinæ erant, ut de Raymundo Comite Tolosano in præfenti refertur; & constat cum hujus vectigalis tenacissimum fuisse exactorem, ex privilegio emunitatis Castro Belicardi ab eo concessio anno 1217. in quo oppidanis omnia vectigalia remittuntur, dempto pedagio salis. Refert Altesferrade Ducibus cap. 3.

g Imperatorum, vel Regum.] Quorum proprium est tributa indicere, ut ultra congestos à Barboza in præfenti, probant Suarez de legibus lib. 5. cap. 18. Alfaro de offic. fiscal. gloss. 20. §. 3. num. 48. Solorzanus embl. 82. ubi eruditè probat modum in tributis servandum, & causas, ex quibus tributa indici valent. Et licet illi tantum olim salivum conductum concederent, Symmachus lib. 10. epist. 36. Cassiodorus lib. 4. var. c. 41. & lib. 7. cap. 39. Duces tamen, ac Comites etiam, salivum conductum, quod nomine guidagiæ in præfenti ponitur, concedere solebant, ut de Comite Engolismensi refert Guillelmus Britto Phisip. 6.

Nec salivum prestare viris, pendente querelâ Conductum, juris ut postulat ordo, volebat. Et Ildebertus Cenomanensis profecturus ad Concilium provinciale, conductum exposcit à quadam Comitissa apud Carnotensem epist. 26. Conductum, sicut fertur, providisti ad Concilium profecturo; quod si ita est, prefata gratia beneficium mihi communices exoro. Iuxta quem morem salivum conductum suis præstabant Comites Tolosani, ut ex præfenti textu probat Altesferra de Ducibus lib. 3. cap. 16 per totum: dum accipit verbum guidagiæ pro securitate viarum præstanda.

h Personarum.] De quarum immunitate egi in cap. clerici, de judic.

i Pace servanda.] Quo casu etiam inter supremos Monarchas Ecclesia jurisdictionem exercere valet, cap. novit, ubi probavi, de judic.

k Viduis.] Iuxta tradita in cap. ex diligenti, de foro compet.

CAPVT XXVII.

Idem Episcopo^a Parisiensis.

Novimus expedire, ut verbum illud, quod in antiquis canonibus, & in nostro quoque decreto contra falsarios edito continetur, ut videlicet clericus per ecclesiasticum judicem degradatus seculari tradatur^r Curie puniendus, apertius exponamus: cum & quidam antecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint, & quorundam sit opinio à pluribus comprobata, ut clericus, qui propter hoc vel aliud^d flagitium grave non solum damnabile, sed damnosum, fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio clericali, seculari foro per consequentiam applicetur, cum ab ecclesiastico foro fuerit projectus: ejus enim est degradatio celebranda

celebranda presente seculari potestate, ac prænuntiandum est ei, cum fuerit celebranda, ut in suum forum recipiat degradatum; & sic intelligitur Curia tradi seculari, pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur. Pro illo vero falsario clerico scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, ut eum in perpetuum carcerem ad agendam poenitentiam includas, f pane doloris, & aqua angustia sustentandum, ut commissa defleat, & flenda ulterius non committat.

NOTÆ.

1. ^a **P**arisensi. Ita etiam legitur in quarta collectione, sub hoc tit. cap. final. De dicecepi Parisiensi egi in cap. final. de consti.
- b **Edito.** In cap. ad falsariorum, de crimine falsi: cuius ipse Innocentius meminit in epistola statim referenda.
2. ^c **Tradatur Curia** De qua traditione Curia seculari facienda egi in cap. cum non ab homine, de iudicijs.
- d **Flagitium.** Ob quod degradandus est clericus, etiam si in corrigibilibus non sit, veluti ob crimen hæresis, seu alfalsinij, ut exponit Fachineus lib. 2. contro. cap. 29.
- e **Intercedere.** Cujus pij moris intercedendi pro eis brachio seculari tradendis rationem retuli in cap. ad audientiam, de heretic.
3. ^f **Pane doloris, & aqua.** Consonat idem Innocentius III. lib. 4. registr. 16. epist. 10. ubi Lundensi Archiepiscopo A. S. L. ita scribit: [Per tuas nobis literas intimasti, te quandam falsarium in vinculis detinere, qui Sedis Apostolicæ mentiens se Legatum, nomine, ac officio Episcopi usurpatis, in multis Pontificale præsumpsit officium exercere. Super quo tibi rescribi desideras, nostræ beneplacitum voluntatis. Nos igitur sollicitudinem tuam in Domino commendantes, fraternitatem per Apostolica scripta mandamus, quatenus quidquid factum est taliter ab eodem, denunciatis habendum illud pro infecto, ipsum sicut charam habes gratiam divinam, & nostram, perpetuo carceri facias mancipari, pane doloris, & aqua angustia sustentandum. De aliis verò, qui sicut asseris, suspecti habentur de crimine falsitatis diligenter inquiras, & quos inveneris esse tales, punias appellatione remota secundum constitutionem à nobis editam ad falsariorum malitiam confutandam.] Quamvis enim carcer ad custodiendos reos introductus sit, cap. quamvis, de pœnis lib. 6. probant plura de carceribus cumulantibus Pantoxa in l. 1. num. 5. & in l. final. nn. 21. de aleator. Pancitola lib. 1. var. cap. 41. Amaya in l. 2. Cod. de exat. tribu. Pinto in specileg. cap. 26. num. 1. Savarus ad Sidonium lib. 7. epist. 1. verbo carceres, Poleus lib. 5. histor. for. Rom. cap. 11. Lara de capel. lib. 1. cap. 22. num. 26. Petrus Greg. lib. 31. syntag. cap. 33. & lib. 4. parisi. tit. 15. cap. 4. Zerda de visi. carcer. cap. 3. Bobadilla lib. 3. polit. cap. 15. Salgado de Regia protect. 2. part. cap. 4. num. 122. tamen Ecclesia consuevit aliquando homines sceleratos carceri in perpetuum, vel ad tempus mancipare, cap. excommunicamus, §. 1. de hereticis, Clement. 1. §. porro, eod. tit. Concil. Matiscon. 1. can. 5. ubi de clericis prophanas vestes induentibus ita cavetur: *A seniore ita coercetur, ut 30. dierum in clausione detentus, aqua tantum, & pane modico diebus singulis sustentetur.* Aquilgr. can. 34. *Sic locus intra claustra*

canonicorum, sicut in multis locis noscitur esse, quod ad tempus retrudantur, & secundum modum culpe castigentur. Probant Salcedo, in praxi, cap. 124. Landmeter. lib. 2. de veteri monac. cap. final. Gibalin. de clausur. regul. disquisit. 2. cap. 4. §. 7. et si jure civili attentio liber homo ad perpetua vincula damnari non possit, l. mandati 35. ff. de pœnis: *Lincredibile est, l. servus 10. Cod. eod. tit. l. si quis filio 6. vers. de Decurione, ff. de injusto rupto: ubi ratio assignatur, & probant Cujacius lib. 14. obs. cap. 34. Faber in lavisprud. tit. 11. princip. §. illat. 5. Petrus Gregor. lib. 31. syntag. cap. 33. num. 24. Simanc. de Catholicis tit. 16. num. 14. Valenzuela contra Venetos part. 3. num. 220. & carceres, quibus clerici includebantur, peculiari nomine Diaconicæ, vel Decanicæ appellabantur, l. 2. Cod. Justin. de heret. l. 30. Cod. Theod. eod. tit. Novel. 79. cap. 3. in fine: lib. 5. Capitular. cap. 225. legitur. *In Decanicis Ecclesia recludantur.* Notarunt Filescac, in c. 1. de offic. ordin. §. 16. Cironius lib. 2. obs. cap. 51. & in rubric. de offic. ord. Jacob. Gothof. in dist. l. 30. Nec tantum illi carceris squallore puniebantur, verum & jejuniis, ac vigiliis affligebantur, cap. de his 36. 50. dist. cap. final. 82. dist. ibi: *Tantum autem diebus Dominicis, & præcipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreantur.* Concil. Tarracon. 2. can. 1. *Si verò religiosus, vel monachus in cella monasterij inclusus poenitentia lamentis incubat, qui singulari afflictione panis & aqua vitæ ex Abbaris ordinatione percipiat.* Matiscon. 1. can. 5. *Quod si post hanc definitionem clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inventus fuerit, à seniore ita coercetur, ut triginta dierum in clausione detentus, aqua tantum, & pane modico diebus singulis sustentetur.* Hic appellatur panis doloris in præfenti, & in c. Guisifarius, 23. q. 4. & panis hic erat hordeaceus. Gregorius Turon. lib. 9. cap. 11. ibi: *Iussit nihil aliud in usu vescendi, nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi.* Notavit Cironius in cap. 2. de Apostatis. in §. compil. Panis fordidus dicitur in l. 5. Cod. Theod. de annonis tit. vil. pessimus in l. 1. Cod. Theod. de can. frument. vilis à Iul. Polluce lib. 6. cap. 1. ibi: *Panes, qui viliores sunt furfuracei.* His panibus fordidis opponuntur panes mundi, qui lautiores sunt, & puriores. Lampridius in Alexand. Medius ab eo unus Patavinus salarium accepit; ceteri qui usque ad sex fuerunt, qui annonas binas, aut ternas accipiebant, ita ut mundas singulas consequerentur, alias aliter. Quæ verba non nisi de annonâ panis accipi posse notavit Salmastius in observat. ad jus Atticum, De illis etiam panibus ait Theodoretus de Abrahamo: *Et panes mundi, selectique offerbantur, & vinum odoriferum, & pisces, & olera, & quæcumque his adjungi solent.* Lampridius in Alex. annonam mundam dixit puram, & lautam. Observavit Cironius lib. 4. observ. cap. 4. Samuel Petitus lib. 3. observ. cap. 3.*

CAPVT XXVIII.

Archiepiscopo ^a Tyren.

Dilecto filio I. ^bBarbo procuratore Ecclesie sancti Marci de Venetiis olim nobis humiliter supplicante, ut cum paratus esset tibi iustitie plenitudinem exhibere super Ecclesia sancti Marci de Tyro, & rebus aliis, de quibus inter te, & Venetos, ac ^c vicarium Venetorum questio mota fuit, possessionem ipsius Ecclesie, qua per felicis memorie I. Papam predecessorem nostrum tibi fuit causa custodia assignata sibi restitui faceremus; quia te pro causa necessaria tunc absente, ei assignari non poterat possessio postulata, nos eidem indulgimus, ut sibi lapsus ^d temporis non obfisteret, quominus possessionem ipsam recuperare valeret. Quoniam vero tantum temporis ante concessionem ipsius indulgentie dicitur effluxisse, quod tibi sufficere possit ad vera possessionis effectum secundum statuta Concilii generalis, etsi forte tempus ipsum tantum ante predictam indulgentiam non effluxerit, videtur quod eadem ad veram possessionem viam tibi praecludat, cum simpliciter contineatur in ipsa, quod de cetero ipsi procuratori lapsus temporis non obstat quominus possessionem recuperare valeat memoratam: Nos quorum fuit intentio iuridicti procuratoris, & ipsi Ecclesie sine tua, & Ecclesie tuae injuria subvenire, auctoritate presentium declaramus, quod nostrae intentionis non fuit per ipsam indulgentiam jusperimere, quod tibi competeat ex possessione praeterita, vel post reditum tuum competerat ex futura; sibi enim imputare poterit pars adversa, si negligens fuit in sua iustitia prosequenda, cum absentiae tuae impedimento cessante, te conveniendi habuerit facultatem.

NOTÆ.

I. ^a *Trensi.*] In hac sexta collectione legitur *Turonensi*, sed male; quare tam inscriptionem, quam literam restituo ex quinta compilatione Honorij, ubi sub titulo *de eo qui mittitur in possessionem. cap. 1* reperitur textus hic, & ejus historiam retuli in *cap. accedens, el. 1. ut lit. non contest.*

^b *I. Barbo.*] Illustrem esse hanc familiam apud Venetos, jam notavit Cironius in *presenti.*

^c *Vicarium Venetorum.*] Magistratum videlicet, de cuius officio agit Iustinus in *hist. Venet. lib. 1.*

^d *Lapsus temporis.*] Videlicet ne tempus elapsum noceret, quod Principis beneficium appellari solet reparatio temporis, *l. 1. Cod. de tempor. appell. ibi: A nostro numine reparacionem peti precipimus. Symmachus lib. 10. epist. 32. & 49. ibi: Cum vellet infelicem cause lapsus reparacione sarcire. Et Imperator in l. Cod. Theodos. de reparat. appell. dixit: Exhausti spatij redintegrationem.*

CAPVT XXIX.

Idem Priori, & clericis S. Ioannis & Pauli ^a Tudertin.

Cum inter vos dudum ex parte una, & Abbatem sancti Petri de ^b Monte Spolet. dioc. ex altera super tertia parte oblationum, & possessionum capellae sancti Hilarii, & cellarum ipsius, & quibusdam aliis coram bona memoriae Angelo sancti Andreae Diacono ^c Cardinali, tunc subdiacono, & Capellano felicis recordationis I. Papae predecessoris nostri, ab eodem predecessore partibus auditore concessio, questio verteretur, & eidem constiterit auditori a vobis probatum fuisse, per quadraginta annos, & amplius, tertiam partem oblationum ejusdem capellae vestram Ecclesiam recepisse a clericis institutis per Abbatem de Monte, tuisque, filii Prior, eandem tertiam te commisisse aliquando colligendam: predecessor praefatus ipsam terram Ecclesie sanctorum Ioannis & Pauli adjudicans, statuit ut tibi, Prior, liceret per eosdem clericos (sicut fuerat consuetum) partem colligere memoratam, prout in ejusdem predecessoris literis perspeximus contineri. Verum quia postmodum sacerdos praedictae capellae asserens obligationum nomine minimè contineri ea, quae ipsi capellae in festivitate omnium Sanctorum mittuntur, vel portantur ad illam, seu ad domum sacerdotis ejusdem intuitu ^d defunctorum, necnon quae in ^e cimilini ponuntur, quod de altari suscipit, facit per Ecclesiam in fraudem ab aliquo deportari, & quae ante Crucem & in Missa Trinitatis, & ea quae pro ^f desponsatis canitur, & lampades cum oleo quae praedictae capellae ab aliquibus offeruntur, vel quae dantur nuntio, qui ad recipienda talia per praefata capellae parochiam destinatur: & de his omnibus vobis

tertiam

tertiam denegans exhibere, de aliis nomine tertia persolvendis pro rata partem vestram Ecclesiam contingenti retinere nitebatur ad expensas capellæ ipsius necessarias faciendas: dictus prædecessor, ut omnis materia scandali tolleretur, tam de omnibus supradictis, quam oblationibus aliis absque subtractione aliqua integrè persolvi voluit, & mandavit tertiam portionem. At capellani prædictæ capellæ volentes adhuc alterius defensionis fomitem suscitare, ac dicentes primitias, & decimas, vel ea quæ offeruntur pro Missis mortuorum sacerdotibus, quæ pro septimis, & g. tricesimis, & anniversariis, pannos, & alia, quæ infra hebdomadam offeruntur, & mortuorum iudicia, oblationum nomine minimè contineri, de his omnibus partem tertiam solvere vobis nolunt. Ut igitur huiusmodi scandalorum materia toties pululantium radicitus evellatur, volumus, & mandamus, ut per clericum vestrum à vobis in eadem Ecclesia institutum de omnibus supradictis, & de aliis oblationibus, quocumque titulo ad Ecclesiam ipsam pervenerint, sine diminutione aliqua integrè tertia vobis portio persolvatur.

NOTÆ.

1. **a** *Tverdin.*] Ita legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* ex qua textum transcribo. Ecclesia hæc est parochialis, & ejus clerici vitam regularem servant.
2. **b** *Sancti Petri de monte.*] Quod monasterium est Ordinis D. Benedicti in diocesi Spoletana, ut refert Tamburinus *in serie Abbat. verbo Spoletum.*
3. **c** *Cardinali.*] Tituli sancti Adriani potius legendum est, quem creavit Innocent. III. an-

no 1212. ut refert Ciaconius *in ejus vita.*
d *Defunctorum.*] De quibus egi *in cap. final. de testam.*
e *Cimelini.*] Legendum esse *in cimelio*, jam notavit Joannes Vossius *de vitis serm. lib. 2. cap. 2.*
f *Pro desponsatis.*] De qua egi *in cap. ad Apolliticam, de simon.*
g *Septimè, tricesimi.*] De quibus missis, & officiis defunctorum egi *in cap. final. de testamentis.*

CAPVT XXX.

Idem Episcopo F. P. Bertrandi Archid. ^a *Casaraugust.*

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quod dilecti filii Præpositus, & Canonici ^b Aretin. sententiam, quam felicitis memoria I. Papa prædecessor noster super Ecclesia sancti Gregorii, quibusdam terris, & parte molendinorum Cupreve, ac Castri Saxi, & molendino posito supra montem de Caliano, ac aliis diversis articulis in eadem sententia comprehensis, inter vos, & eorum canonicam promulgavit, per interpretationem finis in recidiva quæstionis scrupulum reducere molientes, asserunt illud capitulum ejusdem sententiæ, quo dicitur ne canonica ipsa impediatur, quominus monasterium vestrum præfatum molendinum de Caliano reedificare valeat in eo statu in quo fuisse dignoscitur tempore motæ litis, esse referendum ad tempus, quo ^c lapillus in denunciationem novi operis jactus fuit: vobis è contrario asserentibus, illud esse intelligendum de tempore, quo lis super hoc inter vos, & præfatum canonicam extitit contestata: quare humiliter supplicastis, ut altercationem huiusmodi per interpretationem capituli supradicti decidere dignaremur. Nos ergo consideratâ eadem sententiâ diligenter, quod in præfato capitulo dicitur de tempore motæ litis, interpretamur esse referendum ad tempus, quo litis ^d contestatio facta fuit.

NOTÆ.

1. **a** *Casaraugustano.*] Ita legitur in quinta collectione *sub hoc tit. cap. 2.* sed valde corrupta est hæc inscriptio, tam in hac quinta, quam in sexta collectione, cum in præsentibus agatur de canonicis Aretinis, qui sunt in Italia; unde non poterat præsentis causæ cognitio committi Præsuli Casarugustano, qui est in Hispania in regno Aragonis. Restituenda ergo est inscriptio ex ipso registro Honorii III. ad hunc modum, *Abbat, & conventui monasterii S. Floræ*, ut notavit Cirouinus in appendice ad notam hujus quintæ compilationis *D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. V.*

litionis, *in fine.* Monasterium hoc S. Floræ est Ordinis D. Benedicti in ipsa urbe Aretina, ingentibus redditibus, amplissimisque privilegiis Imperatorum, ac Regum ditatum, ut refert Vghel. *tom. 1. Ital. fol. 450.*

b *Aretin.*] De Aretina Italiæ diocesi egi *in cap. 2. de ordin. cognis.*

c *Lapillus.*] De hac nunciacione per lapilli jactum egi *in cap. 1. de novi oper. nunc.*

d *Litis contestatio.*] Quia licet post nunciacionem novi operis per lapilli jactum nihil sit innovandum, sicut post nunciacionem in iudicio factam, ut probavi *in cap. 1. de novi oper. nunc.* tamen

H h h 3 in

in presenti casu in ipsa sententia specialiter cautum fuerat, molendinum reedificandum esse in eo itatu, ac fuerat tempore motæ litis: unde ad litis contestationem ea verba referri debebant, cum in hoc casu tunc diceretur lis mota, licet in

aliis casibus lis incipiat à citatione, ut docet Felic. Vega. in rubric. de iudiciis, num. 44. & in cap. proposuit, num 67. de foro competenti, & probavi in cap. unic. de litis contest.

CAPUT XXXI.

Idem Prælati, & Capitulis universitatis^a Constantinopol.

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quod venerabilis frater noster Patriarcha vester, occasione constitutionis cuiusdam, quam venerabilis frater noster^b Albanensis Episcopus tunc Apostolicæ Sedis Legatus in partibus^c Romaniam super legatis edidit defunctorum, & dilect. frater I. titulo sanctæ Prædixis Presbyter Cardinalis, dum ibidem legationis fungeretur officio, innovavit, de quibusdam, quæ vobis, & Ecclesiis vestris legantur à decedentibus, tertiam indebitè à vobis exigit portionem. Cum igitur Episcopus, & Cardinales prædicti (sicut eorum interpretatione accepimus) non intellexerint, quod de his, quæ in ornamentis ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentis, aut ad Ecclesiæ luminaria, necnon & de his, quæ pro anniversario à septimo, trigésimo, ac vigésimo faciendis; vel de his, quæ personis specialiter, nisi fortè id fiat Ecclesiæ ratione, à quocunque legantur, aliqua deberet solvi portio Ecclesiæ Cathedrali: Nos interpretationem eorum ratam habentes secundum ipsam constitutionem præfatam præcipimus observari, firmiter inhibentes, ne in prædictis aliquid fraudulenter in præjudicium Cathedralis Ecclesiæ procuratur.

NOTÆ.

^a Constantinopolitana) Ita etiam legitur in quinta collectione, sub hoc tit. cap. 3. De hac Imperiali urbe egi in cap. 4. de consuet.

^b Albanensis.] Pelagius videlicet, creatus Episcopus Cardinalis Albanus anno 1211. qui ab Honorio III. in Orientem legatus missus est anno 1218. cum prævalido exercitu, à quo post diuturnam obsidionem Damiatina nobile Ægypti oppidum captum est, ut referunt Jacobus de Vi-

triaci lib. 3. hist. Orient. Vghel. tom. 1. Ital. in Alban. Præsul. fol. 297.

^c Romaniam.] Idest Thraciæ, cujus caput est Constantinopolis; duæ enim fuerunt provinciæ hoc nomen sortitæ. Prima fuit Flaminia, cujus Metropolis Ravenna erat; alia in Oriente, translato Imperio in Constantinopolin, sicut ipsa civitas nova Roma dicta fuit, ut probat Bosquetus ad Innoc. III. lib. 1. regestr. 13. epist. 33.

^d Septimo, trigésimo.) De omnibus his obventionibus egi in cap. finali, de restam.

CAPUT XXXII.

Idem Episcopo^a Tullensi.

TUA nobis fraternitas intimavit, quod cum tibi pro relevatione oneris debitorum, quo præmeris, duxerimus indulgendum, ut fructus beneficiorum, quæ interim in diœcesi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere; quidam Apostolicæ gratiæ privilegium sinistra interpretatione restringere molientes, asserunt præbendas, & majora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri; super quo interpretationem Apostolicam postulasti. Nos igitur interpretum huiusmodi sententiam reprobantes, auctoritate præsentium declaramus, quod præbendæ, ac alia beneficia generali beneficiorum nomine continentur.

NOTÆ.

^a Tullensi.) Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc tit. cap. final. idest Odoni, qui cum esset cantor ipsius Ecclesiæ, in Prælatum

proprius electus fuit, ut refert Alberic. in chron. ad annum 1218. ibi: Gerardus Merensis Primicerius, frater Comitis Hugonis in Episcopum Tullensem electus moritur, Cantor Odo in Episcopum promovetur.

CAPVT XXXIII.

Gregorius IX. Decano, & Sacristia Engo.

Transmissæ nobis litteræ continebant, quod significantibus Episcopo, & Capitulo Xanton. quod quadragenarius Canonorum numerus institutus in eorum Ecclesia non poterat observari, pro eo, quia non sufficebant Ecclesiæ facultates, vobis dedimus in mandatis, ut Canonorum, & præbendarum numerum juxta facultates Ecclesiæ moderantes, statueretis eundem firmiter observari: vos verò invenistis prædictæ Ecclesiæ facultates, à tempore statuti numeri adeo excrevisse, quod absque mutilatione præbendarum major haberi posset numerus in eadem; quare quæsitus, an per moderationis verbum literis nostris appositum eundem numerum augmentare, vel minuere deberetis. Quocirca mandamus, quatenus si veteres non sunt minutz præbendæ, cum moderatio locum non habeat, ipsarum, & Canonorum numerum dimittatis in eodem statu, in quo hæctenus dignoscitur exstitisse, in utilitatem ejusdem Ecclesiæ convertentes augmentum suorum reddituum, donec duxerimus aliter disponendum.

NOTÆ.

de quibus egi in cap. final. de corpore viciat.

b' Moderantes.] De numero Canonorum augendo, vel minuendo juxta proventus & redditus Ecclesiæ, egi in cap. cum M. de consuet.

2

a Engo.] Engolismensi videlicet, quæ est Ecclesia Cathedralis in Gallia in Comitatu Burdegalensi, ubi etiam est Ecclesia Xantonensis,



TITULUS XLI

De Regulis Iuris.

CAPVT PRIMVM.

Joannes Chrysostomus.

Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.

NOTÆ.

I. a Chrysostomus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. & in Decreto Ivonis p. 8. cap. 233. & sub nomine Paleæ citatur textus hic à Gratiano in cap. omnis 4. 27. q. 2. & in margine hujus textus additur homil. 32. in Mattheum, in opere imperfecto: & extant verba hæc volum. 2. ejusdem D. Chrysostomi, ubi alia 27. homiliae extant, ut jam notavit Antonius Augustinus in presenti.

penult. Instit. de jure natur. testamentum testamento rumpitur, l. 1. §. 2. ff. de injusto rupto: obligatio verbis contracta contrariis verbis tollitur, l. an inutilis 8. §. acceptum, ff. de accept. l. debitor 36. ff. de jure dot. similiter obligatio ex consensu orta contrario consensu dissolvitur, l. si unus 27. §. pactum ff. de pactis, l. 1. 2. §. 4. Cod. quando liceat ab emptione, l. 72. ff. de contrah. emption. & sic hypotheca, quæ nudo consensu contrahitur, l. si tibi 17. §. de pignore, ff. de pactis, nudo pacto tollitur, l. 2. C. de remiss. pignori. l. 10. C. de pignori. Sic etiam quia servi manu capiuntur, unde mancipia appellantur, l. 4. in fine, ff. de stat. hominum, Varro lib. 5. de lingua Latina, ut à potestate liberentur, è manu emittuntur, l. 4. ff. de just. & jur. & sicut inter solemnitates testamenti testes signatorii adhibebantur, ita in ejus apertura eosdem testes vocari oportuit, l. 4. l. sed si major 6. ff. testamenta quemadmodum, Paulus lib. 4. sentent. tit. 6. & sicut clericus cum ordinatur, calicem & cætera ornamenta ecclesiastica accipit, ita & eadem illi auferuntur cum degradatur, cap. Episcopus 11. q. 3. cap. 2. de poenit. lib. 6. quod & in exauratione militis observatur, l. 2. §. ignominia,

COMMENTARIUM.

2. Regula hæc in jure civili expressè traditur in l. nihil tam naturale 35. ff. de R. l. l. prout, ff. de solut. & magna nititur ratione, quoniam generationes, & corruptiones ex contrariis in contraria fiunt. D. Thomas 1. p. 9. 7. art. 6. Unde jura civilia civili commento solvuntur, §. minus Instit. de heredit. qua ab incest. naturalis obligatio naturali ratione solvitur, l. Scichum 95. §. naturalis, de solut. pactum pacto abrogatur, l. si unus 27. §. pactum, ff. de pactis: lex lege tollitur §.

Hb. 4